in capite suo, quod hæresi infectum, & deprehensum erat, advocaverunt, ut interpretatur Hallierius *de hierar. jurisd. l. 4. §. 37. pag. 631.* Alia dedimus *in cap. 8. de renunt.* Hujus ergo Ecclesiæ Præsuli Hellino dicto, ni fallor, missa fuit præsens decisio.

b *Septimum diem.*) Quem Dominum benedixisse, & sanctificasse legitur *Exodi c. 2. v. 2.* benedixit enim Deus, hoc est benefecit ei, & volens ipsum præ ceteris hebdomadæ diebus in honore haberi, sanctificavit, segregando illum ab aliis, & ab omni usu profano, seu opere servili, speciali quadam ratione eumdem cultui suo dedicando: unde aliqui non immerito existimarunt, hodie speciali quadam ratione in cœlis omnes Angelorum choros majori exultatione, & jubilo in Dei laudes prorumpere, de quibus laudibus exaudiendum esse putant illud Job: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ, & cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.* Ipsi etiam existimant ante legem Moysi datam, ubi præceptum servandi Sabbatum inter alia præscriptum fuit *Exodi cap. 20. & 31. Deuteron. c. 5.* Adamum, ejusque posteros diem septimum coluisse; in lege vero gratiæ dies septimus Sabbati translatus fuit in proximum diem Dominicum, atque etiam nonnihil immutatum fuit quoad ejus ritum, & celebrationis modum, tum etiam quoad finem, & intentionem, ut referunt Salvianus, Tornielius, & ex eis Spondanus *in annalibus sacris, die 7.* ut jam notavimus *superiori c.*

c *Dies majestati.*) Qui referuntur *in c. 1. de consecr. dist. 3. c. ult. hoc tit.*

d *Natalitia Sanctorum.*) Non quibus in hanc vitam prodeunt mortalem, tum aliis malis, tum maxime peccatis obnoxiam; sed quibus expiati martyrio ad vitam transeunt immortalem; dies enim martyrii, & obitus Sanctorum pro eorum natalitiis celebrantur; quamquam B. Virginis, & B. Joannis Baptistæ, ut natales Ecclesia celebret dies illos, quibus hanc lucem primum aspexere, non quia nati tantum sint, sed quia divinis præ ceteris aucti muneribus, divinitus nati sunt. Eusebius in Ginesium Martyrem, ibi: " Hodie natalem S. Ginesii celebra„ mus; & merito BB. Martyr. passiones natales vocamus dies, „ quando eos martyrii vita & gloriæ fides, dum ingerit mor„ ti, genuit æternitati, & perpetua gaudia brevi dolore par„ turiit. *Idem* hom. 1. in sanctum Joannem Bapt. *ibi*: Hodie „ Joannis, qui Domini præcurrit adventum, natalem diem „ celebramus, quod nulli sancto meminimus attributum: ho„ die, inquam, ejus natalem diem unica, ac singulari cele„ britate veneramur. *Origenes* l. 3. in Job: Nos non nativita„ tis diem celebramus, cum fit dolorum & tentationum in„ troitus; sed mortis diem celebramus, utpote omnium dolorum „ depositionem, atque omnium tentationum effugationem; illi „ enim, qui mori videntur, mundo vivunt, & nascuntur Deo; „ propterea memorias Sanctorum facimus, & parentum no„ strorum, vel amicorum in fide morientium memoriam agi„ mus, tamquam eorum refrigerio gaudentes, quam etiam no„ bis piam in fine consummationem postulamus. „ Plura congerunt Crespetius *in summa, verbo diei festi*, Rabanus Maurus *l. 2. instit. clerii, c. 43.* Roa *de die natali, c. 18.* Cochier *in face hist. c. 12.* Dorleans *ad Tacitum f. 596.* Novarinus *l. 2. electi. c. 62.* Marquez *in suo gubernat. l. 2. c. 38. §. 2.* Torreblanca *de jure spiri. l. 11. c. 11. n. 8.* Tiraquellus *de nobilit. charte. 31. n. 469.* Herrer. *l. 2. de orig. divini offic. c. 19.* Dionysius Salvagnus *in Ovidium, ad Ibin, f. 34.* Plerumque tamen primis Ecclesiæ sæculis Christiani in his natalitiis celebrandis lautius epulabantur. Gregorius Magnus *l. 10. ep. 71. Nam ut dedicationes, vel natalitia sanctorum Martyrum religiosis conviviis solemnitatem celebrent*, D. Hieronymus ad Eustochium de S. Petri festivitate ita ait: " Festus est „ dies, & natalis B. Petri, festivius est solito condiendus, „ *Et sub finem*: Unde nobis solicititius providendum est, ut so„ lemnem diem, non tam ciborum abundantia, quam spiri„ tus exultatione celebremus, quia valde absurdum est nimia „ saturitate velle honorare Martyrem, quem scias Deo pla„ cuisse jejuniis. *Petrus Chrysologus* serm. 129. Noli æstimare, „ charissime, quod in solis prandiis, & profusioribus epulis „ natales Martyrum celebrentur. „ Sed cum licentius epula„ rentur, hujusmodique compotationibus se sanctorum Marty„ rum demereri crederent patrocinium, epulæ illæ prohibitæ fue„ runt variis Ecclesiæ legibus. Conc. Altissiod. *c. 2. & 9.* Cart. *4. can. 58.* Cabil. *c. 18.* Tolet. *can. ult.* Brachar. *can. 8.* Nannet. *can. 10.* Synod. *can. 22.* De his epulis, & choreis in natalitiis Sanctorum detestandis plura adducunt Balsam. *in can. 61. & 75. Synod. 6.* Savarus *in not. ad Sidon. lib. 4. ep. 15.* Ambianus *ad Tertul. de idololat. c. 10. ob. 1.* Rosyveid. *in notis ad Paulin. pag. 15. linea 19.* & nos *in c. cum decorem, de vita & hon. cler.*

e *Captioni.*) Piscatio enim regulariter absque necessitate lucri causa prohibita est diebus festivis, ut docent, & resolvunt Suarez *tom. 1. de relig. l. 2. c. 28. n. 6.* Fagundez *in quinque præcept. Eccles. c. 11. n. 16.* Leander *eod. tr. disp. 4. q. 31.* Valeus *in floribus, verbo Festum, nu. 12.* Ricciulus *lib. 6. lucubr. c. 22.* Unde ut ex indulgentia piscationem alecum concedat Alexander III. in præsenti, tria desiderat. Primo ingruentem necessitatem, quæ adesse dicitur eo ipso, quod certo tantum tempore pisces terræ se inclinaverint; unde hæc decisio habet locum in omni genere piscium, quorum piscatio aliquo tantum tempore exerceri potest, ut sunt thunni, spodi, seu sardæ, ut resolvunt Sanchez, Trullench, & Fagundez relati a Leandro ubi supra, *qu. 32.* Secundo desideratur, quod hujusmodi piscatio non fiat in diebus natalis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, ut resolvunt Ricciulus, *lib. 6. c. 27.* Leander *q. 33.* Tertio requiritur, ut congrua portio Ecclesiæ, & Christi pauperibus solvatur: & licet legitima ultima verba hujus textus tantum importare consilium docuerint Sylvester *verbo Dominica, q. 4.* Tabiena *verbo Feria, q. 45. n. 46.* Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 11.* verius tamen est, præceptum continere, ut resolvunt in præsenti Baldus *n. 2.* Butrius *n. 8.* & *12.* Abbas *n. 4.* Ancharanus *n. 8.* Suarez *de relig. t. 1. lib. 2. c. 33. nu. 7.* Ricciulus *d. lib. 6. c. 7.* verba enim illa, *ita quod*, inducunt modum necessario adimplendum, *l. si quis, ff. quod quisque jur. l. hæc autem, in fine, ff. de servit. urb.* Quoad congruam vero portionem censent Glossa, quam sequuntur repetentes, & Ricciulus ubi supra, usque ad decimam partem esse in pauperes erogandum, ultra decimam illam partem, quam Ecclesia jure pio vindicat, *ex c. ad Apostolice, de decimis.*

f *Necessitas.*) Propter quam plura permittuntur, quæ absque ea illicita erant, *c. quod non est, de R. J. in 6.* plura Barbosa *axiom. 258.* & nos Deo volente dicemus *in c. si propter, de furtis*; unde ea ingruente vel imminente periculo pluviæ, seu incursus hostium, licet die Dominico fœnum, segetesve succidere, & colligere. Ricciulus *d. c. 27. n. 8.* Leander *d. disp. 6. q. 22. cum sequent.* quod & ad metalla facienda ingruente necessitate recte protraxit Solorzan. *t. 2. de jur. Ind. lib. 2. c. 27. n. 102. & c. 29.*

CAPUT IV.

a Clemens III.

CApellanus tuus, frater Episcope, coram nobis ex parte tua proposuit, quod cum canonica *b* statuta declarent, nuptias tribus hebdomadibus *c* ante festum nativitatis S. Joannis Baptistæ minime celebrari debere; quidam hebdomadas illas absque interpolatione continuandas intelligunt: alii vero inter festum, & ipsas facere intervallum volentes, illud dicunt ob reverentiam festivitatis Pentecostes fuisse statutum, quæ in septimanis ipsis solet intervenire quandoque; & sic inchoantes a tribus diebus *d* Rogationum ante Ascensionem Domini, usque ad octavam diem post Pentecosten, illis hebdomadibus computatis, illo tantum temporis spatio celebrari nuptias non permittunt, earum celebrationem ab inde nullatenus inhibentes. Quia igitur consulti fuimus, utra istarum opinionum potior videatur, nobis, & fratribus nostris apparuit, quod cum ea sit Romæ consuetudo a longis retro temporibus observata, ut quocumque matrimonium contrahatur tempore consensu interveniente *e* de præsenti legitimo, quia tamen a *f* Septuagesima usque ad septem dies post Pentecosten celebrari nuptiæ non sinuntur, & postea etiam tribus, vel pluribus septimanis ante festivitatem sancti Joannis sine differentia celebrantur; posterior sententia meliori, & subtiliori ratione foveatur: & sive secundum canones a Septuagesima usque post Octavas Paschæ; sive juxta consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, usque post septimum diem festi Pentecostes, qui *g* caret Octavis, nuptiæ suspendantur, in Dominica quæ sequitur, & deinceps indistincte valeant celebrari.

NOTÆ.

a *Clemens.*) Ita etiam legitur in 2. collectione, *sub hoc tit. c. 4.* sed ex nulla ex his collectionibus constat de Prælato, cui missa sit hæc epistola: quod plerumque in ejus Decretalibus contingit, cum magno Professorum hujus juris detrimento.

b *Statuta canonica.*) Concilium videlicet Illerdense relatum a Gratiano *in c. non oportet 33. q. 4.* in hæc verba: „ Non „ oportet a Septuagesima usque ad octavam Paschæ, & tribus „ hebdomadis ante festivitatem S. Joannis Bapt. & ab Ad„ ventu Domini usque ad Epiphaniam nuptias celebrare: quod „ si factum fuerit, separentur. *Salegustad. sub Benedicto VIII.* „ c. 3. De legitimis autem conjugiis visum est, quod nullus „ Christianus uxorem ducere debeat ab Adventu Domini ul„ que post Epiphaniam, & a Septuagesima usque in Octa„ vam Paschæ, neque in supra notatis quatuordecim diebus „ ante festivitatem S. Joannis Baptistæ.

c *Ante festum B. Joannis.*) Ante festivitatem S. Joannis olim observabatur jejunium in aliquibus Provinciis per quatuordecim dies.

dies. Concil. Salesg. *d. can. 3.* Concil. apud Erphesfurt *can. 2.* relatum a Burchardo *l. 13. Decreti, c. 21.* ibi: " Et VII. „ dies ante nativitatem S. Joannis Baptistæ, quatenus adeun„ di Ecclesiam orationibusque vacandi liberius habeatur fa„ cultas. „ Et tunc temporis in Ecclesia erant quotannis tres Quadragesimæ, una ante Domini nativitatem, quæ hodie appellatur Adventus: alia ante ejus resurrectionem, ut hodie observatur: alia tandem ante nativitatem S. Joannis Bapt. ut probatur ex Conc. Tribur. *can. 7.* alias 58. Cæsaraugust. *can. 2.* apud Carnot. *p. 15. Decreti, can. 18.* Pœnit. Rom. relato a Burchardo *l. 19. Decreti, c. 10.* ibi: " Ut tres Quadragesimas „ jejunet, una ante natalem Domini, secunda ante Pascha, „ tertia ante Missam S. Jo. & si totam Quadragesimam ante „ Missam S. Jo. implere non possit, post Missam impleat. „ *Eodem l. c. 5.* Per singulos annos quatuor, qui remanent, tres „ Quadragesimas per legitimas ferias debes jejunare. Primam „ ante Pascha cum ceteris Christianis, alteram ante festivita„ tem S. Joannis Bapt. & si quid remanet, post adimpleas, „ tertiam ante nativitatem Domini, a vino, a medone, mel„ lita, cervisia, a carne, sanguine, & caseo, & pinguibus pis„ cibus. „ Illustrant Filesacus *de Quadragesima c. 3.* Mendoza *l. 1. Conc. Illib. cap. 6.* Balsam. *in scholiis ad responsa Patriarch. Constantin.* erudite Theophilus *t. 10. in rosa merid. f. 479.*

d *Tribus diebus rogationum.*) Rogationes, seu Litaniæ in duplici sunt differentia; aliæ enim dicuntur stataæ: imperatæ aliæ. Imperatæ sunt, quæ ratione necessitatis præsentis, vel futuræ indicantur ad orandum Deum, ut intercessione Sanctorum non solum a peccatorum nexu, sed etiam a tribulationibus, & calamitatibus, tam præsentibus, quam futuris nos liberet, de quibus plura Aut. August. *in epist. l. 21. tit. ult.* Covar. *l. 4. var. c. 20. n. 16.* Conradus Brunus *l. 5. de cerem. c. 1.* Alciatus *l. 9. parerg. c. 11.* Polyd. Virgil. *de invent. rer. l. 6. c. 2.* P. Greg. *l. 1. part. tit. 20. c. 2.* Savarus *in notis ad Sidon. l. 7. epist. 1. f. 411.* & *ep. 14. f. 353.* A. morales *l. 11. chron. Hispan. c. 43. f. 51.* Valenzuela *consil. 184.* Azor *t. 1. instit. l. 7. c. 16.* Loaysa *in notis ad Conc. Gerundense, can. 3.* Baronius *in Martyr. die 25. Aprilis, f. 174.* Coriolanus *in breviario anno 590.* & *in notis ad Conc. Aurel. 1.* & *ad Gerund. can. 3.* Jodoc. Coccius *l. 3. thesauri tit. 7.* Statæ rogationes duplices etiam sunt, alia major, alia minor. Major celebratur in festo S. Marci: minor, quæ vulgo dicitur dies Rogationum, ante festum Ascensionis. Causam refert Paulus Diaconus *l. 11. de gestis Longob. c. 11.* Rogationes seu Litaniæ institutæ fuerunt a Mamerto Viennensi Episcopo, ut aliqui volunt, propter cladem illatam a lupis, & aliis animalibus in partibus Galliarum, obque terræmotus frequentes: quare prædictus Episcopus indixit populo jejunium triduanum, & instituit rogationes ante festum Ascensionis, ut loquitur Alcimus Avitus *homil. de Rogat.* & probant Cujac. *in novell. 113.* Jacob. Eusillon. *l. de process. Eccles. c. 21.* Sirmundus *ad Sidonium l. 5. ep. 14.* Theophilus *t. 15. in aerocl. spir. pœnit. 8.* quæ postea imperatæ fuerunt a variis Conc. Aurel. 1. *can. 6.* relato a Burchardo *l. 10. Decreti, c. 7.* Synodo apud S. Medardum *canon. 4.* relata ab ipso *l. 12. c. 20.* Gerund. *can. 2.* Mogunt. *can. 33. c. Rogationes, de consecr. d. 3.* Sed verius est, Rogationes non fuisse primum a Mamerto institutas in Galliis, sed tantum cum fervore, ad terræmotus, incendii, aliarumque cladium pericula avertenda fuisse restitutas, ut constat ex Sidonio *l. 5. ep. 4.* ibi " Harum rogationum solemnitates primus „ Mamertus Pater, & Pontifex reverendissimo exemplo, uti„ lissimo experimento invenit, instituit, invexit. Erant qui„ dem prius (quod salva fidei pace sit dictum) vage tepen„ tes, infrequentesque, atque sic dixeris oscitabundæ sup„ plicationes, quæ semper interpellantium prandiorum objici„ bus hebetabantur, ad quas, ut nihil amplius dicam, figulo „ pariter, & hortulano non oportuit convenire. In his autem, „ quas supra præfatus summus Sacerdos & protulit pariter, „ & contulit, jejunatur, oratur, psallitur, & fletur. " Unde patet jam ante S. Mamertum rogationes institutas fuisse, & illarum meminit S. Augustinus, qui multis retro annis ante Mamertum floruit, *serm. 173. de tempore*, ibi: " Scire de„ bemus, & intelligere, fratres charissimi, quia dies pœni„ tentiæ, & compunctionis celebramus. *Et circa finem.* Nullus „ sibi de industria aliquas occupationes inquirat, per quas „ sese de Ecclesiæ conventu subducat: sine dubio peccatorum „ suorum vulnera diligit, qui in istis tribus diebus jejunan„ do, orando, & psallendo medicamenta sibi spiritualia non „ inquirit. „ Et Litanias jam temporibus Sancti Gregorii Thaumaturgi, & Tertulliani in usu fuisse, probat Severinus Binius *in notis ad can. 17. Conc. Laodic.* & *in notis ad epist. Hilarii Papæ.* Facit Eucherius *homil. de Litan.* qui meminit Litaniarum ante sanctum Mamertum. Quare opinionem hanc ut veriorem docuerunt Baronius *dict. die 29. Aprilis*, Gretserus *de process. l. 1. c. 6.* Hugo Menard. *in notis ad l. Sacram. D. Greg. f. 154.* qui de his rogationibus late agunt: & de supplicationibus apud Gentiles usitatis aliqua adducit Germon. *l. 1. de sacr. immun. c. 18.*

e *Legitimo de præsenti.*) Forma enim matrimonii consistit in consensu contrahentium legitime verbis, aut signis expresso, *c. sufficit 27. q. 2. c. tua de sponsi.* Conc. Florent. de unione Armen. §. *Septimum Sacramentum*: probat Basilius *de matrim. l. 1. c. 7.* Consensus autem debet esse legitimus, ut in præsenti docetur, id est verus, purus, liber, deliberatus, verbis aut signis patefactus: unde subharratio per annuli traditionem, quamvis regulariter non inducat matrimonium, *c. tamsi, cap. lator, de re judic.* tamen si ex consuetudine provinciæ per annuli traditionem explicetur consensus, similis subharratio matrimonium inducit. Basilius *de matr. lib. 2. c. 11. & 12.* D. Nicol. de Castro *in §. 1. Instit. de empt. & vendit. n. 37.*

f *Septuagesima.*) Licet Quadragesimæ jejunium ex institutione, & a tempore Apostolorum in Ecclesia observetur, *can. 68. Apost.* D. Clemens *l. 5. constit. Apost. c. 13.* probant Baronius *anno 57. & 58.* Bellarm. *t. 3. controv. tit. de jejuniis, c. 14.* Filesacus *de Quadrag. c. 1.* Cironius *ad titul. de observ. jejun.* Hæpthenus *disquis. monast. l. 10. tr. 8. disquis. 1.* Turrianus contra Magdeburg. *l. 5. c. 8.* Menardus *ad D. Gregorium pag. 52.* Coriolanus *in can. 66. Apost.* Herrera *de orig. divin. offic. c. 26.* Theophilus *t. 10. in rosa meridiana, fol. 465.* Tamen circa hebdomadas huic quadragesimali jejunio affiguandas pro temporum varietate diversum jus observatum legimus. Telesphorus Pontifex, qui floruit ex anno 127. usque ad annum 138. constituit, ut clerici jejunarent per septem hebdomadas, ita ut a secunda feria quinquagesimæ usque ad quintam feriam majoris hebdomadæ, quadraginta dies jejunarentur, sublatis diebus Dominicis, *c. statuimus 4. c. quadragesima 44. d.* Severinus Binius *tom. 1. Conc. in vita Telesphori.* Covar. *l. 4. variar. c. 20.* Azor. *t. 1. instit. l. 1. c. 12. q. 2.* Postea Melchiades, qui Ecclesiam rexit ex anno 311. usque ad 315. statuit, ut in omnibus quintis feriis jejunium solveretur, ad exemplum Christi Domini, qui feria 5. cœnavit cum discipulis, *c. jejunium 4. de consecr. d. 3.* ideoque ut tempus Quadragesimalis jejunii adimpleretur, addidit hebdomadam sexagesimæ, & constituit ex ejus die ferias enumerari usque ad feriam 5. majoris hebdomadæ, sublatis feriis quintis, & diebus Dominicis. Eodem etiam tempore Græci, & aliqui ex Latinis, qui non jejunabant diebus Dominicis, feriis quintis etiam sublaris, Septuagesimæ hebdomadam addiderunt: postea in Concilio Laodiceno temporibus Damasi celebrato, anno 377. statutum fuit, ut jejunium quadragesimale inciperet a feria 2. Dominicæ Quadragesimæ, & duraret usque ad Sabbatum sanctum, *c. non liceat 7. c. non oportet 8. de consecr. d. 3.* Sed postea Gregor. Magnus constituit, ut Quadragesima inciperet feria 4. Cinerum, & finiretur die Sabbati sancti inclusive, in quo tempore perfecte adimpleretur jejunium Quadragesimæ, *c. Quadragesima 16. de consecr. distinct. 5.* referunt Azor. *ubi sup.* Layman *l. 4. summæ tr. 8. c. 2.* Et licet jam ab his temporibus jejunium a Septuagesima non inciperet, Ecclesia tamen quoad officia divina ab ea Dominica mœroris, & luctus tempus observat per septuaginta dies sequentes, in memoriam septuaginta annorum, quibus Israelitæ exules fuerunt a terra propria: notarunt Micrologus *in observ. Eccles. propos. 47.* Rupert. *l. 1. c. 6.* Herrera *de orig. divin. offic. c. 25.*

g *Caret octavis.*) Hæc verba exposui *in c. 2. hoc tit.*

COMMENTARIUM.

PRo hujus textus interpretatione observandum est, jam a primis Ecclesiæ temporibus usque ad nostra, interdictam fuisse nuptiarum celebrationem certis anni temporibus, videlicet ab Adventu Domini usque ad Octavam Epiphaniæ; a Septuagesima usque ad Octavam Paschæ; a die Rogationum usque ad Pentecosten, *c. non oportet 33. q. 4.* Conc. Salesgustad. sub Benedicto VIII. *can. 3.* " De legitimis autem con„ jugiis ita visum est, quod nullus Christianus uxorem du„ cere debeat ab Adventu Domini usque in Octavam Epipha„ niæ; & a septuagesima usque in Octavas Paschæ, nec in su„ pra notatis quatuordecim diebus ante festivitatem Sancti „ Joannis Baptistæ, neque in prædictis jejuniorum diebus, „ sive in omnium solemnium dierum præcedentibus noctibus. „ *Conc. Ravennat. sub Clemente V. c. 19.* Et ut tempora inter„ dicta ad celebrandum nuptias non possint aliquando ex „ ignorantia excusare, monemus omnes Sacerdotes, parochia„ les maxime, quatenus dicta tempora Dominica ante Adven„ tum, & Dominica ante Septuagesimam, & Dominica ante „ Octavam Ascensionis Domini studeant publice in Missarum „ solemniis nuntiare, quod nullus celebret nuptias temporibus „ ab Ecclesia interdictis, scilicet a prima Dominica Adven„ tus usque ad Epiphaniam, & a Dominica de Septuagesima „ usque ad Octavam Paschæ, & a tribus diebus ante Ascen„ sionem usque ad Octavam Pentecostes. *Et in Conc. Senon. sub* „ *Clemente VII. in decretis morum*, c. 39. Sane cum matrimo„ nium a Deo omnium rerum conditore in paradiso, & in „ statu innocentiæ institutum fuerit, sitque teste Apostolo, sa„ cramentum, proinde cum magna reverentia, ac devotione „ suscipiendum, utpote in quo, sicut & in reliquis sacramentis „ gratia conferatur, prohibemus ne in sponsalibus, aut nuptia„ li benedictione fiant risus, cachinnationes, aut alia ridicu„ la verba enuntientur: quin imo moneantur affidati, quate„ nus jejunt, contriti, confessi, ac cum multa reverentia ad „ hoc sacramentum accedant. *Concil. Enhamense temporibus Joann.* „ *Pap. XVII.* can. 18. *ibi*: Ordalii præterea, & jurisjuran„ di administratio, necnon & matrimonii celebratio, in festis solemnibus, & in jejuniis quatuor temporum semper „ prohibentur, & ab Adventu Domini ad Octavas usque Epi„ phaniæ, & a Septuagesima ad quintamdecimam noctem ipsi„ que ad Pascha. „ Toletanum anno 1473. tempore Sixti „ IV. *canon. 16.* Trid. *sess. 24. de reform. matrim. c. 10.* solum interdicit has benedictiones nuptiales ab Adventu usque ad diem Epiphaniæ, & a feria 4. Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusive: & *canon. 11.* Illustrant ultra congestos a Barbosa in præsenti, Crespetius *in summa, verbo Nuptiæ*, Covar.

Covar. *de matrim. 2. p. c. 8. §. 11.* Sanchez *eod. tr. l. 7. disp. 7. n. 1.* Basilius *eod. tr. l. 6. c. 7.* Petrus Gregor. *l. 3. pariti. tit. 21. c. 6.* Borellus *t. 3. decis. l. 1. n. 49.* quæ Ecclesiastica prohibitio magna utitur ratione, cum enim omni tempore fideles cohibita adhuc, & effrenata aliquorum petulantia in celebrandis nuptiis, conviviis, & aliis lætitiæ signis uterentur, *c. nostrates 30. qu. 5.* Conc. Senon. sub Clemente VII. Concil. Laodic. *can. 53. Quod non oportet Christianos euntes ad nuptias plaudere vel saltare, sed venerabiliter prandere, sicut Christianos decet.* Non licebat ergo in his diebus, quibus fideles jejunio, divinis officiis, vigiliis, stationibus, atque Eucharistiæ communioni vacare debebant, comessationibus, & aliis lætitiis in nuptiis intervenientibus operam dare; solemnitas enim nuptiarum res est magnæ distractionis, cum convivia, aliique profani apparatus adhiberi soleant. Ut igitur fideles sine hac distractione ad spiritualia contemplanda, sacramentumque Eucharisticum recipiendum parati, & religiose dispositi invenientur, optimo consilio ab Ecclesia hujusmodi solemnitates nuptiarum his temporibus prohibitæ fuerunt. Quam rationem & Gentiles in sua obcæcata religione præ oculis habuerunt, dum mense Februario diebus illis, quibus parentalia celebrabantur, nuptias contrahi vetuerunt, ne ab his sacrificiis populus distraheretur. Ovidius *l. 2. Fastor.*

Postea præteriti tumulis redduntur honores,
Prodigiisque venit, funeribusque modus.
Dum tamen hæc fient, vidua cessate, puellæ.
Expectet puros pinea tæda dies.
Nec tibi, qua cupiet matura videbere matri,
Comat Virginiem hasta recurva comas.
Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer: habent alias mæsta sepulchra faces.

Nec mense Martio his diebus, quibus Saliorum festa celebrabantur, fas erat nuptias contrahere. Ovidius *l. 3. Fastor.*

Nubere si qua volet, quamvis properabitis ambo,
Differ: habent parva commoda magna mora.

8 Refellitur hæretico, rum quædam illi, positura.

Sed hæretici, qui omnem moverunt arietem, ut Ecclesiæ dispositiones oppugnarent nulla enim re utitur Ecclesia, quam evellere non tentaverint, hanc Ecclesiæ prohibitionem, ut superstitiosam improbarunt, Calvinus *l. 4. instit. c. 19. §. ult.* Kemnitius *2. p. exam. pag. 1271.* moti sequentibus fundamentis. Primo, quia matrimonium sacramentum, & magnum, juxta Apostolum est, *c. ad abolendam, de hæreticis*, Conc. Florent. *in decreto de unione Armen. §. septimum sacramentum*, Trident. *sess. 24. can. 1.* Igitur omni tempore recipi, & administrari valet. Secundo, nam Gentiles nuptias celebrare certis anni temporibus prohibebant, videlicet feriis. Macrobius *Saturn. cap. 15.* „ Nec hoc prætermiserim, quod nuptiis copulandis Kalendas, „ Nonas, & Idus religiosas, idest devitandas censuerunt. Hinc „ enim dies præter Nonas feriati sunt; feriis autem vim cui„ que fieri piaculare est; ideo tunc vitantur nuptiæ, in qui„ bus fieri vis virginibus videtur. „ Sed Verrum Flaccum „ juris Pontificii peritissimum dicere solitum refert Varro, quia feriis tergere veteres fossas liceret, novas facere insanum esset; ideo magis viduis, quam virginibus idoneas esse ferias ad nubendum, & mense Majo. Ovidius *l. 5. Fastor.*

Hæc quoque de causa fit te proverbia tangunt,
Mense malas Majo nubere vulgus ait.

Igitur ne hanc dierum superstitiosam observationem fideles imitentur, omni tempore nuptiarum celebratio illis permitti debet. Sed facile hic error hæreticorum refellitur, & fundamentis fit satis. Primo enim respondet Bellarminus *t. 2. controv. l. 1. de matr. c. 31.* in hoc textu, & aliis supra citatis, non prohiberi sacramentum matrimonii administrari, nuptiasque etiam verbis de præsenti celebrari diebus religiosis supra enumeratis; sed tantum deductionem sponsæ in domum sponsi, solemnem nuptiarum pompam, convivia, quæ adhiberi solere in nuptiis, supra retulimus: unde matrimonium etiam illis temporibus licite contrahi docuerunt D. Thomas *in 4. d. 32. q. 1. art. 5.* Caietanus *in summa, verbo Nuptia*, Guibertus Costanus *de sponsal. f. 117.* Sanchez *l. 7. de matr. disp. 7. n. 1.* Fermosinus *in presenti q. 1.* quorum sententia probatur ex hoc textu in illis verbis: *Quocumque tempore matrimonium contrahatur.* Unde cum matrimonii sacramentum administrari non prohibeatur, sed tantum solemnis deductio sponsæ, aut pompa nuptialis, rectè ex supra traditis hæc solemnitas nuptiarum certis temporibus interdici potuit. Quod etiam hodie ex nova Concilii dispositione Tridentini observatur, ut videlicet ab Adventu Domini usque ad diem ipsum Epiphaniæ; & a die Cinerum usque ad Octavam Paschæ benedictiones solemnes, quas vulgo *Velationes* dicimus, in Ecclesia non dentur: non tamen improbabiliter existimavit Basilius *l. 6. de matrim. c. 8. n. 7.* inspecto jure primævo Ecclesiæ, & attentis dictis supra relatis Conciliis, Illerdensi videlicet, Leodic. & Salegust. omnem prorsus nuptiarum celebrationem fuisse prohibitam, licet postea dumtaxat solemnitas nuptiarum, benedictiones solemnes, & pompæ fuerint interdictæ. Secundum etiam hæreticorum fulcrum facile rejicitur; nam fideles non quia superstitionem paganicam certis anni temporibus æmulari videantur, certis anni religiosis temporibus a nuptiis arcentur, sed ut his diebus orationibus, & jejuniis vacent, a conjugalique copula se abstineant. Gentiles autem ex nimia superstitione tempora illa observabant, ob rationes, quas refert Plutarchus *in problem.* Prima, quoniam mensis Majus medius est inter Aprilem, & Junium, quibus convenientius est nubere, eo quod hic Junoni, ille Veneri sacer est, Deabus scilicet, quæ nuptiis præsunt. Secunda propter funesta piacula, quibus eo mense Romani utebantur, effigies hominum de ponte in Tyberim dejicientes. Tertia, quod cum Majus a majoribus natu dictus sit, ut Junius a junioribus; & grandior ætas minus apta sit veneri, & nuptiis, Junium optabant, & Majum a nuptiis alienum habebant. Prosequuntur Brissonius *de ritu nuptiar. c. 1.* Ant. Hothomanus *eodem tr. c. 13.* D. Franc. de Amava *in l. un. Cod. de Majum. n. 21.* Superstitiosi fuerunt Romani in nuptiis celebrandis, præcipue circa tempus; non enim nisi prius captatis auspiciis nuptiæ ab eis celebrabantur. Valer. Maximus *l. 2. c. 1.* Alex. ab Alex. *l. 2. diur. genial. c. 5.* ubi plura notavit Tiraquel. observabaturque magnopere motus celi, aut terræ; ne videlicet turbato cœlo fœdus inirent, quod nuptiis adversari putabant, ut notavit Servius *ad illud Virgilii. 4 Æneid.*

—— Primo & Tellus, & promiba Juno
Dat signum.

Et e contrario cornicum signum auspicatissimum erat conjugiis, maximæque fidei, & inviolandi fœderis indicium, ut ex Plutarcho, & Æliano refert præceptor D. Franc. Randoly *de ritu nupt. c. 9. n. 5.* Non ergo ut has vanæ religionis superstitiosas leges æmularentur Christiani, Ecclesia prædictis diebus nuptias interdixit; sed ob christianas, religiosasque rationes, quas supra retulimus.

9 Textus sententia refertur.

Cum igitur ex antiquis canonibus nuptiarum celebratio vetita reperiretur ab Adventu Domini usque ad Octav. Epiphaniæ, & a Septuagesima usque ad diem septimum post Pentecosten, & tribus septimanis ante festum S. Joannis Baptistæ, inde orta quæstio fuit in hoc textu decisa, utrum videlicet tres illæ hebdomadæ sic accipiendæ sint, quæ videlicet contingunt festum S. Joannis Baptistæ, an quæ a die Rogationum excurrunt usque in septimum diem post Pentecosten, quod temporis spatium plenè continet hebdomadas tres; siquidem solemnitates Rogationum, Ascensionis, & Pentecostes præcedunt festum S. Joannis, sed cum eo continuantur, imo plerumque inter eas, & hoc festum quod colitur die 24. Junii, longum intervallum intercedit. Cui quæstioni Clemens III. in præsenti respondit, tres illas septimanas ante festum S. Joannis, de quibus in canonibus antiquis agitur, non esse accipiendas de his, quæ sunt conjunctæ festo S. Joannis, sed quæ retro præcesserunt, & impenduntur celebritati Rogationum, Ascensionis, & Pentecostes. Hodie tamen hæc quæstio superflua esset; siquidem post Concilium Tridentinum nuptiarum celebritas permittitur temporibus Rogationum, Ascensionis, & Pentecostes, & etiam Septuagesimæ, ut supra dixi. Imo & benedictiones nuptiales dari posse Sabbato ante Dominicam Adventus, docent Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 7.* Diana *p. 3. tr. 4. resol. 202.* accipientes autem benedictiones tempore prohibito, lethaliter peccant. Sanchez *d. disp. 7.* Leand. *de matrim. disp. 73. q. 7.* quamvis alii, quos refert & sequitur Diana *p. 3. tr. 4. resol. 202.* mitius loquantur; & Sacerdos punitur pœna arbitraria.

CAPUT FINALE.

a Gregorius IX.

Conquestus est nobis, *Et infra*: Quamvis non prorogari, sed *b* experiri deceat quæstiones; debet tamen judicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam Dei noscuntur esse statuti, scilicet *c* Natalis Domini, sancti *d* Stephani, Joannis *e* Evangelistæ, *f* Innocentium, *g* sancti Sylvestri, *h* Circumcisionis, *i* Epiphaniæ, septem diebus Dominicæ *j* Passionis, *k* Resurrectionis, cum septem sequentibus, *l* Ascensionis, *m* Pentecostes, cum duobus qui sequuntur, *n* Nativitatis I. Bapt. festivitatum *o* omnium Virginis gloriosæ, duodecim Apostolorum, & præcipue Petri, *p* & Pauli *q* B. Laurentii, Dedicationis *r* B. Michaelis, solemnitatis omnium *s* Sanctorum, ac diebus Dominicis, cæterisque solemnitatibus, quas singuli Episcopi cum Clero & *t* populo in suis diœcesibus duxerint venerandas. Quibus utique solemnibus feriis (nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat) usque adeo convenit ab hujusmodi abstinere, ut consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus hujusmodi promulgari. Licet diebus feriatis, qui gratia vindemiarum, ob necessitates hominum indulgentur, procedi valeat, si de partium processerit voluntate.

NOTÆ.

NOTÆ.

a Gregorius.) Inscriptio hæc supplenda est, & exponenda *ex c. conquestus*, *de foro compet.* ubi alia pars hujus epistolæ refertur.

b *Experiri.*) *Cap. jurgantium, de re judicata, c. finem, de dolo & contum.* ubi nonnulla dabimus.

c *Natalis Domini.*) Consonant caput 1. *de consecr. d. 1. lib. 2. l. omnes*, *C. hoc tit.* D. Clemens *l. 5. constit. c. 13. 20. & 21.* quod festum ex institutione Apostolorum juxta Ecclesiasticam traditionem celebrat Ecclesia die 25. Decembris, secundum receptissimam, tam Latinorum, quam Græcorum sententiam, ut constat tam ex veteribus, quam recentioribus Martyrologiis, SS. Patrum sermonibus, & homiliis, Ecclesiarum universi orbis officiis, & liturgiis: de qua festivitate agemus *in c. fin. de observ. jejun.*

d *Sancti Stephani.*) Protomartyris, qui colitur die 26. Decembris, cujus laudes egregiis orationibus prosecuti sunt SS. Patres, ex quibus plura adducunt Baronius, & Salazar *in dicta die 26.*

e S. *Joannis Evangelistæ.*) *D. c. 1. de consecr. dist. 3.* hujus S. Apostoli duplicem festivitatem Ecclesia quotannis celebrare consuevit; unam pridie nonas Maii, ob ejus martyrium ante Portam Latinam, quando jussu Domitiani Sanctus ab Ephesio Romam vinctus tractus, & in olei ferventis dolium missus, purior evasit, quam introivit: alteram die 27. Decembris, cum ejus gloriosus transitus colitur, de qua die agitur in præsenti. Plura cumularunt de hac festivitate Baronius, & Salazar *d. die 27.* Vivar. *ad Flav. Dextrum, anno 7. m. 2. fol. 161.*

f *Innocentium.*) Qui Martyres Bethlehemitici dicuntur, quia in Bethlehem Judææ ab Herode Rege pro Christo interfecti primitias Martyrum reportarunt. Eorum festivitatem Ecclesia Græca die 29. Decembris celebrat, ut constat ex ejus Ecclesiæ Menolog. apud Canisium *t. 2. lection. antiquar.* Ecclesia vero Latina colit die 28. Decemb. ut probat Baron. & Salazar *in Martyrol. in eod. die.*

g S. *Sylvestri.*) *D. c. 1. de consecr. d. 3.* qui propter summum virtutis gradum defuncto Melchiade creatus fuit Romæ Pontifex. Hic multorum patrator miraculorum, Constantinum Magnum sacro regenerationis baptismate abluit, ut refertur in Græcorum Menologio. Die 31. Decembris ejus festivitas colitur, ut plura de eo adducentes tradunt Coriolanus, & Baronius *anno Christi 314.* Idem Baronius *in Martyrol. d. die 31.*

h *Circumcisionis.*) Cujus dies duplici nomine decoratur; nam dicitur Circumcisio Domini, & ejus nativitatis Octava: & primis Ecclesiæ sæculis tantum sub nomine Octavæ Nativitatis celebrabatur, *c. 1. de consecr. d. 3.* Concil. Mogunt. *can. 36.* sed cum hodie Circumcisio etiam Domini celebretur, ideo Circumcisio Domini in liturgiis, & officio divino recensetur. Unde in Præfatione hujus diei, in Sacramentali D. Gregorii legitur; " Per Christum Dominum nostrum, cujus hodie Circumcisionis diem, & Nativitatis octavam celebramus. *Et Carnot.* sermone de Circumcis. *ait*: Octava, & Circumcisio „ uni convenit sacramento. „ Plura de hoc mysterio, & ejus celebritate congerunt Alcuinus *c. 3.* Amalarius *l. 4. cap. 32.* Micrologus *obs. Eccles. c. 30.* Herrera *de off. divin. l. 2. c. 23.* Bar. & Tamayo a Salazar *in Martyrol. die 1. Januarii*, qui hujus diei apud Gentiles profanos ritus, variaque expiationes referunt, quas ut radicitus Ecclesia evelleret, Kalendas Januarias observare omnino interdixit, *c. non licet 13. c. si quis Kalendas 14. c. non observetis 16. 26. q. 3.* Et in Conc. Tol. 4. *can. 11.* statutum legimus, ne his diebus in Ecclesia Alleluja cantetur, & fideles quadragesimalibus vescantur alimentis. En verba: „ Statuimus, ut in omnibus diebus Quadragesimæ Alleluja non „ cantetur, quia tempus mœroris est: in temporibus vero re„ liquis, idest Kalendis Januariis, quæ propter errorem Gen„ tilium aguntur, omnino Alleluja non decantabitur. In qui„ bus etiam præter pisces, & olera, sicuti in aliis quadragin„ ta diebus, a ceteris carnibus abstinetur, & a quibusdam „ nec vinum bibitur.

i *Epiphaniæ.*) Seu Theophaniæ, ut Græci appellant, *c. 1. de consec. d. 3. l. 2. C. hoc tit.* ubi verba illa, *septem qui præcedunt, & septem qui sequuntur*, transposita sunt, reponendaque post illa, *sanctum quoque diem Paschatis.* Hujus diei festivitas celebratur die 6. Januarii, jam a temporibus Apostolorum. D. Isidorus *l. 1. de Eccles. offic. c. 27.* " Epiphaniorum diem „ proinde festiva solemnitate, ut Apostoli signaverunt, quia „ in eo est proditus stella Salvator, quando invenerunt Magi „ Christum in præsepio jacentem. „ Ammianus Marcel. *lib. 21.* dum loquitur de Juliano Imperatore, tum in Galliis agente: „ Et ut hæc interim celarentur, feriarum die, quem ce„ lebrantes mense Januario Epiphaniam dictitant, progressus „ in Ecclesiam, solemniter Numine adorato discessit. „ Tria miracula hac die recoluntur. Primum, quia tunc in sacro baptismo suo Christus populis fuit ostensus: sive, quod ea die fideris orta Magis est proditus: sive, quod primo signo per aquam in vinum versam multis manifestatur. Mire conclusit his versibus Pontius Paulinus.

Ut veneranda dies cunctis, qua Virgine natus
Pro cunctis hominem sumpsit Deus, utque deinde
Qua puerum stella duce mystica dona ferentes
Dupliciter videre Magi; seu qua magis illum
Jordanis trepidans lavit, tingente Joanne,
Sacrantem cunctas retrandis gentibus undas;
Sive dies eadem magis illo sit sacra signo,
Quo primum Deus egit opus, cum flumine verso
Permutavit aquas: praduleti nectare vini.

De hac festivitate plura adducunt Baronius, & Salazar *d. die 6.* Januarii, Herrera *d. l. 2. c. 24.* Idem Baronius *anno 58. n. 91.* Menardus *ad D. Gregorium, fol. 35.* Belunger. *ad Casaub. diatriba 3. c. 9. & 10.* & de ejus institutione, tam apud Latinos, quam Græcos, late disserit Joan. Dartis *in animadv. ad annales Baronii, in principio.*

j *Dominica passionis.*) *L. 7. §. dies, Cod. hoc tit.* idest septem 8
diebus hebdomadæ majoris, quam nos sanctam vulgo dicimus, ob præclara passionis mysteria, quæ in ea ab Ecclesia recoluntur, & reverentur: late illustrant I. Gothofred. *in l. Dominico, C. Theodos. de spectac.* Herrera *d. l. 2. c. 30.*

k *Resurrectionis.*) Idest Paschæ Resurrectionis Domini dies, 9
Catholicæ Religionis cultoribus magna veneratione, & cultu semper observatus ex instituto Apostolorum. D. Clemens *lib. 3. constit. c. 3.* probant Azorius *2. p. instit. l. 1. c. 3. q. 3.* Suarez *de relig. l. 1. c. 2.* non consuetudine, ut voluit Sozomenus *l. 9. tripart. c. 37. & 38.* de qua die D. Chrysostomus *hom. 7. de resurrect. Domini*, ait: " Licet omnes solemnitates, quæ in „ Ecclesiis pro Dei honore celebrantur, sanctæ sint, atque „ venerabiles; tamen hodierna Dominicæ resurrectionis dies „ præcipuam quandam, ac peculiarem festivitatem habet. *Con„ cil. Melden.* can. 77. Dies quoque octo sacrosanctæ Pascha„ tis festivitatis omnibus Christianis feriatos esse decernimus „ ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynæceo, cæ„ mentario, pictorio, venatorio, forensi, mercatorio, audien„ tiali, ac sacramentis exigendis, quatenus eisdem diebus tan„ to licentius, quanto liberius omnibus Christianis sanctæ Re„ surrectionis laudibus, & sacrosanctæ prædicationi jugiter in„ sistere liceat. *Synod. Trullana* can. 66. A sancto Domini no„ stri Resurrectionis die usque ad novam Dominicam totam „ hebdomadam in sanctis Ecclesiis vacare fideles jugiter opor„ tet. *Matiscon. 2.* can. 2. *Engolhentimense* can. 6. Ut Pascha„ lis hebdomada festive tota celebretur. *Et* l. 2. C. Theod. „ de feriis. Sacras quoque Paschæ dies, qui septeni vel præ„ cedunt numero, vel sequuntur, in eadem feriarum observa„ tione numeramus. „ Notavit Novarinus *l. 8. schediasm. c. 23.* Inter cetera vero festivitatis hujus solemnia legimus, noctem ejus vigiliis, & orationibus Christianos coluisse. Lactant. Firmian. *l. 7. instit. c. 19. Et hac est nox, qua a nobis propter adventum Regis, ac Dei nostri pervigilio celebratur.* Isidorus *l. 6. etymol. c. 17.* De hac nocte in Concilio Matiscon. 2. *can. 1.* ita cavetur. " Noctem quoque ipsam, quæ ad nos superna, & lu„ ce inaccessibili redit, spiritualibus exigamus excubiis, nec „ dormiamus in ea, quemadmodum dormitant, qui nomine „ dumtaxat Christiani esse noscuntur, sed oremus, & vigile„ mus operibus sacris, ut digni habeamur in regno cohare„ des fieri Salvatoris. „ Hinc facile intelligitur, quod D. Hieronymus ad Vigilantium scripsit: ideo vigilias, & pernoctationes in basilicis Martyrum existimasse respuendas, ne Pascha crebrius celebrari videretur. Ceterum de constituendo Paschalis festivitatis die olim Episcoporum dissensione certatum est: & Ecclesia valde curavit, ut uno, eodemque die apud omnes fideles per universum orbem celebraretur, *c. Pascha 23. c. placuit 24. de consecr. d. 3.* referunt Basilius Legion. *q. 2. schol. in can. 2. Conc. Altissiod.* Aloix *ad vitam sancti Irenæi, c. 11.* Filesacus *de Quadrag. c. fin.* Bellarm. *t. 2. l. 3. c. 12.* Joann. Dartis *ad d. 3. de consec.* plures laudati ab Illust. D. Franc. Ramos *in memor. pro Episc. Lusit. propos. ult. n. 233.* Baron. *an. 159. n. 2. & anno 344. n. 22. & an. 58. n. 52. & an. 105. n. 81.* Turrianus *l. 1. pro can. c. 7. & l. 5. c. 17.* Ferrarius *de ritu concionan. l. 1. c. 25.* Cujus curæ ratio refertur *in ep. Constantini ad Episcopos, qui adfuerunt Concilio Nicæno, to. 1. Concil. Binii, pag. 364.* his verbis: " Consideret Sanctitas ve„ stra, quam grave sit, & indecorum, per eosdem dies alios „ quidem jejuniis intentos esse, alios vero conviviis vacasse, „ & post Paschæ dies, hos quidem feriari, & conquiescere, „ illos autem statis jejuniis macerari. Quin & strictior ipsa, „ atque exactior ratio flagitare videtur, ne qua nobis sit cum „ Judæorum perfidia communio. „ Fuse narrat Eusebius *lib. 3. hist. c. 23.* quem transcripsit Basilius *ubi supra.* Unde Apostoli *in can. 7.* statuerunt: " Si quis Episcopus, vel Presbyter, „ vel Diaconus sacri Paschæ diem ante vernum æquinoctium „ cum Judæis celebraverit, deponatur. „ Et die Dominico Pascha esse celebrandum, constat: siquidem jam temporibus Pii Pontificis, qui floruit per an. 160. id statutum fuit, ut liquet ex ejus epistola relata *in c. Nosse vos, de consecr. d. 3.* ex revelatione facta per Angelum Hermæ, relata in eodem textu, & apud Ant. Aug. *in epit. l. 20. tit. 2.* Idem constituisse Victorem primum, constat *ex c. celebritatem, eadem d. 3.* quod testimonium refert Carn. *4. p. Decreti, c. 145.* Cum ergo revelatio hæc Hermæ facta, approbata sit a Summis Pontificibus, videtur mihi hoc institutum, non ab Apostolis tantum acceptum, sed a Christo Domino infinuatum per Angelum fuisse: Ergo quod Pascha celebretur die Dominico, proprie, & expresse juris divini est: quod & docuit disertis verbis S. Gaudentius *in Syntagm. de observ. Paschæ*, circa principium. Nec ignoramus qualem, quantamque fidem mereatur liber ille Hermæ Pastoris, de quo ex professo egit Baronius *an. 159.* quem bona fide transcripsit Beyerlink *in theatro vitæ humanæ, verbo Paschæ*, et si Bellarm. *tom. 1. controv. l. 3. de Rom. Pont. c. 19.* Pio, & Victori statutum tribuat pro instituto, quod tunc prosequebatur, sed neque asserit, neque negat juris divini esse. Postea in Conc. Nicæ-

no 1. actum fuit de computo anni lunaris ecclesiastici, ut uno die in universa Ecclesia Paschа celebraretur: & cum post vernum æquinoctium esset celebrandum, primo æquinoctium vernum statuerunt in die 21. Martii, ut lunæ, quæ contingunt a die 8. Martii usque ad diem 5. Aprilis, essent Paschales: secundo ut Pascha possit celebrari a 22. die Martii usque ad 25. Aprilis, in omnibus diebus intermediis; & ut omnibus liqueret dies lunæ, Dionysius Abbas dictus Exiguus, aureum numerum proposuit. Refert D. Ambrosius *epist. 63. de Paschatis celebritate*, his verbis: " Convenientes ad Synodum " Nicænam, etiam super celebritate memorata Paschatis, con- " gregatis peritissimis calculandi, 19. annorum collegere ra- " tionem, & quasi quemdam constituere circulum, ex quo " exemplum in annos reliquos gigneretur. " Itaque ab eo tempore, & retro constat, juxta Apostolicam traditionem Pascha celebrari in Ecclesia post æquinoctium Martii, & decimamquartam diem lunæ ipsius, ut constat ex pluribus juris testimoniis, quæ congerunt Crespetius *in summa, verbo Pascha*, Anton. August. *in epit. juris, l. 20. tit.* 1. Sed cum per 35. dies a 22. Martii usque ad 25. Aprilis, in omnibus diebus Pascha celebrari possit, injunctum fuit Præsuli Alexandrino, ut juxta supputationem supra traditam quotannis nuntiaret Romano Pontifici diem futurum Paschæ, ut sic ipse Metropolitanis rescriberet, & per totam Ecclesiam cognosceretur: cujus moris meminit Cassianus *l. 10. coll. cap. 1.* ibi: " Epistolæ Pontificis Alexandrini per universas Ægypti Ec- " clesias dirigantur, quibus & initium Quadragesimæ, & diem " Paschæ non solum per civitates omnes, sed etiam per uni- " versa monasteria dirigantur. " Quæ litteræ dicebantur Paschales. Earum exemplaria refert Ferrarius *de litteris primitivæ Ecclesiæ, l. 1. c. 5. & l. 2. c. 3.* Sed postea ob schisma Ecclesiæ Orientalis a Latina, Rom. Pontifex nuntiare cœpit diem Paschæ Primatibus, & ipsi quotannis in Concilio aliis Prælatis referebant. Concilii Carthagin. 3. *canon 41. Per singulos annos convenientes Episcopi ad Concilium, etiam de solemnitate Paschali a Primate suo informentur.* Tandem sexto Ecclesiæ sæculo, cum regulæ prædictæ supputationis anni lunaris cognoscerentur a Latinis, Episcopi singuli in suis diœcesibus die Epiphaniæ nuntiabant solemnitatem Paschæ, collatione facta prius per epistolas inter ipsos circa ipsam festivitatem. Concil. Aurelian. 4. *can. 2.* " Paschæ festivitas annis singulis ab " Episcopo Epiphaniarum die in Ecclesiis denuntietur; de " qua solemnitate quoties aliquid dubitatur, inquisita, vel " agnita per Metropolitanum a Sede Apostolica constitutio " teneatur. Placuit ut ante tres Menses Epiphaniarum Me- " tropolitani Sacerdotes litteris se invicem inquirat, ut diem " Resurrectionis Christi comprovincialibus suis insinuent, & " uno tempore celebrandum annuntient. *Concil. Brachar. 2.* " can. 9. Adveniente natalis Dominici die, post lectionem " Evangelicam, superventurum ipsius anni Pascha quota " Kalendarum die, vel quota Luna debeat suscipi a Sacer- " dotibus, nuntietur populo, & Quadragesimæ jejuniis po- " pulo servire præcipiant. Clerus breviculo sub nocte diem " annuntiet Paschalem. " Quæ nuntiatio cessavit, postquam typis datæ fuerunt tabulæ festivitatum mobilium, & a Sede Apostolica recognitæ, & approbatæ fuerunt. Plura de hoc Paschatis die traduat Baronius *anno 159. numer.* 1. Bellarminus *dict. lib. 3. de Sanctis, cap. 12.* Menardus *ad concord. regul. cap. 49.* Brissonius *in lib. Dominico, pag. 50.* Carrier. *tom. 2. tract. de festis, sect. 2.* Turrianus *pro canon. Apost. lib. 5. cap. 17. & in explanat. Clementis, lib. 5. cap. 16.* Coriolanus *in can. Apost. & in notis ad Concil. Rom. 3. sub Sylvestro.* Severinus Binius *in notis ad can. 1. Apost.* Filelfacus *de Quadrag. cap. fin.* Dartis *in 15. dist.* Herrera *de offic. divino, cap. 40.* Basilius *q. 2. scholast. in can. 2. Concil. Altissiod.* Christ. Lup. *in hist. Conc. Nicæn. can. 6.*

10 De constitutionibus Imperatorum.

Sed jam Paschalem diem, quatenus Imperatores, ut feriatum colerint, prosequamur. Et primo Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus in sua constitutione edita 3. Nonas Maji, anno 366, quæ refertur *sub tit. de indulgentiis criminum*, ita sanxerunt in hæc verba: " Ob diem Paschæ, quem intimo cor- " de celebramus, omnibus quos reatus adstringit, carcer in- " clusit, claustra dissolvimus. Attamen sacrilegus, in Maje- " state reus, in mortuos veneficus, sive maleficus, adulter, ra- " pror, homicida, communione istius muneris separentur. " Ubi subscriptio, quæ sequitur, mendosa est, ut probat Samuel Petitus *ad leges Atticas, pag. 38.* Iidem Imperatores sequenti anno ita statuerunt *in leg. 4. eodem Codice, & titulo.* " Paschæ celebritas postulat, ut quoscumque nunc ægra ex- " pectatio quæstionis, pœnæque formido solicitat, absolva- " mus; decretis tamen veterum mos gerendus est, ne temere " homicidii crimen, adulterii fœditatem, majestatis injuriam, " maleficiorum scelus, insidias venenorum, raptusque violen- " tiam finamus evadere. " Idem rescripserunt *in l. Paschalis, l. religio, eodem tit. & Codice.* Postmodum Imperatores Valentinianus, Theodosius, & Arcad. anno 389, *in l. omnes, Cod. de feriis;* constituerunt, ut Paschæ dies, qui septeno numero vel præcedunt, vel sequuntur, feriati maneant, & eo amplius in quindecim Paschalibus diebus compulsionem, & annonariæ functionis, omniumque publicorum, ac privatorum debitorum differri exactionem: & tribus post annis *in l. alius, Cod. de feriis*, actus omnes, sive publicos, sive privatos, diebus quindecim Paschalibus conquiescere, ita tamen ut mancipandi, & manumittendi libera cuique esset potestas: una tamen exceptione temperarunt, relata *in l. provinciarum, Codic. hoc tit.* quam exposui supra *in c. 1.* Extat elegans etiam lex Valentiniani apud Sirmundum *in appendice Codicis Theodos. ordine 8. & 9.* cujus legis observationi studiose invigilasse ipsum Valentin. testis est Divus Ambrosius *in ejus oratione funeb.* ibi: " Quid de pietate ejus loquar, qui cum homines nobili or- " tos genere, & locupleti prosapia accusator urgeret, Præ- " fectus insisteret, respondit, se nihil consulere, sanctis præ- " fertim diebus statueretur. " Idem Sanctus *epist. 33.* quem refert Altesserra, *de Diebus l. 2. c. 6. fol. 149.* His vero constitutionibus, & Gregorii IX. decretali mire consonant Gregorii Nissæni verba *in orat. 3. de Christi Resurrectione*, quæ ita Latine vertuntur: " Nullus adeo ægritudine pressus, & ob- " noxius est, quin per hujus festi magnificentiam mali sui re- " missionem sentiat, atque levamen: hoc die nexi solvuntur, " debitor dimittitur, servus bono, & humano præconio, at- " que edicto Ecclesiæ manumittitur.

11 l *Ascensioni Domini.*) Quæ jam ab Apostolorum temporibus magno cultu a Christianis colitur, ut constat ex homiliis Sanctorum de hac festivitate, & ex traditis ab Azorio *t. 2. Inst. l. 1. c. 12. q. 2.* Herrera *lib. 2. de divin. offic. c. 50.* Baronio *anno 58. num. 91.*

12 m *Pentecostes cum duobus.*) Dies Pentecostes, qui quinquagesimus a die Paschæ resurrectionis dicitur, quia a Pascha ad Pentecosten quinquaginta dies excurrunt, Concil. Aurel. 1. *canon. 25.* ibi: " Nulli civium Paschæ, Natalis Domini, vel " quinquagesimæ festa in villa liceat celebrare. *Concil. Turon.* " 2. can. 17. De Pascha usque ad quinquagesimam tota heb- " domada ex asse jejunent. " Clemens Romanus in constitutionibus Apostolicis diem Pentecostes esse decimum ab Ascensione, & a resurrectione quinquagesimum, disertissime docet *l. 5. constit. Apostol. c. 18. & 19.* in hæc verba: " Post decem " Ascensionis dies, qui est a prima Dominica quinquagesi- " mus, adest vobis magnus dies Pentecostes. In eo die hora " tertia misit nobis Dominus Jesus donum Spiritus sancti, re- " plenque fumus ejus operatione. *Magnum Ecclesiæ lumen Au- " gustinus t. 10. serm. 183. & t. 7. serm. 1. in festo Pentecos- " tes:* Pentecosten ergo, *inquit*, agamus hodie, hoc est quin- " quagesimum diem a Resurrectione Dominica, non quod " hac die, sicut plerique putant, ad cœlos Salvator ascen- " derit. " Sub eodem nomine celebratur a Judæis in memoriam legis eo die acceptæ in monte Synai, *Levit. c. 23.* Apud Christianos retento eodem nomine, magno celebratur cultu jam a temporibus Apostolorum. De Apostolo enim legitur, festinasse ut Hierosolymam accederet ad celebrandum Pentecostes diem, *Actuum Apostolor. c. 20.* & ipse *1. Corinth. c. 18. vers. 8.* ait: *Manebo Ephesi usque ad Pentecosten.* Cassianus *collat. 21. c. 20.* Cujus festivitatis traditio per Apostolicos viros ad nos usque transmissa, eodem tenore servanda est: unde inter Domini festivitates traditione Apostolica acceptas diem Pentecostes recensuerunt Divus Clemens *l. 1. constit. c. 18. & lib. 8. c. 33.* Sanctus Justinus *q. 115.* Irenæus *orat. de pascha*, Tertul. *de corona militis, c. 3.* Divus Augustinus *epist. 118. ad Januarium*, Isidorus *lib. 1. de offic. Eccl. c. 32.* Concil. Mogunt. *can. 38.* ibi: " Item Pentecostea similiter ut in Pascha. *Concil. Illiberit. can 43.* Pravam institutionem emendari placuit, juxta auctoritatem scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes post Pascha celebremus, non quadragesimam, nisi " quinquagesimam. " Ubi plura notavimus. Olim per quatuor dies hæc festivitas celebrabatur, ut probat Novarinus *l. 8. sechediasm. c. 24. n. 131.* ubi ex Synodo Germaniæ refert hæc " verba: " Ut in Pentecoste secunda, tertia, & quarta se- " ria, non minus quam die Dominica solemniter honoretur. " Sed jam a temporibus Greg. IX. tantum per tres dies colitur, ut plura adducentes de hac festivitate docuerunt Vicecomes *l. 1. de ritibus Baptismi, c. 18. & 19.* Azor. *ubi supra*, Herrera *dict. l. 2. c. 15.* Bellarminus *d. l. 3. de diebus festis, c. 13.* Carrier. *t. 2. ff. fidei, sect. de tradit. q. 3. fol. 549.* Baronius *anno 58. n. 79. & 80.* Vasquez *in 3. part. tr. 3. de Eucbar. disp. 173. c. 5. n. 48. & cap. ult.* Turrianus *l. 5. pro canonib. c. 18.* Mendoza, & nos *in d. can. 43. Conc. Illiber.*

13 n *Nativitas Joannis Baptistæ.*) Cujus festivitatem, tam Latini, quam Græci colant, celebrantque die 24. Junii: Latini vero tribus Missis hujusmodi celebritatem peragere consueverant, ut ex ordine Romano, & Albino Flacco probat Baronius *d. die 24.* Solet etiam festum hoc appellari Lampas, sive Lampadum D. Joannis. Chrysostomus *hom. de nativitate Joannis Bapt.* quæ est prima inter diversas: *Quando Joannes natus est, quem diem Lampadem appellant*, Forsan ita dictum, propter multitudinem rogorum, qui ea nocte accendi solent; qui usus licet ob superstitionem usurpatus, damnatus reperiatur *in canon. 65 Synodi 7.* ubi ex Cyro Michaele de ipsa die 24. Junii agente hæc verba refert Balsamon: " Per totam noctem " rogos ex fœno accendentes, supra eos saltabant, & sortie- " bantur, seu divinabant de felicitate, & de quibusdam aliis " plane damoniace. " Quem morem transfiendi pyram, licet abolita omni superstitione, ad Christianos translatum jam notarunt Scaliger *observ. 7.* Suarez *ad leg. Aquil. l. 3. c. 6. sect. 3.* Pontanus, & Zerda *in 6. Æneid. vers. 230.* Durantius *l. 2. variar. c. 1.* Cresol. *l. 3. miscellag. sect. 12.* Scachus *Oleocrismat. sect. 1. c. 3.* amicus noster D. Emmanuel Villalufo *in voto gratul. pag. 9.* Plura de hac festivitate cumularunt Baronius *in apparatu ad annales, n. 121. & t. 5. anno 414. n. 17.* Salazar *in Martyr. Hispan. d. die 24.*

14 o *Festivitatum omnium.*) Novem videlicet præcipuarum; nam 222. dies D. Mariæ dicatas refert Ferreolus *in suo Mariali* 250. recenset Herrera *d. l. 2. ex c. 56. usque ad 68.* Sed ex communi repetentium placito tantum textus hic accipiendus est de festivitatibus majoribus, videlicet Annuntiatione, Expectatione, Conceptione, Nativitate, Præsentatione, Visitatione, Assumptione, Purificatione, & Nivium miraculo; quarum originem in Ecclesia late referunt Baronius, & Salazar *in suis peculiaribus diebus*, Herrera *ubi proximè.*

p *Petri & Pauli.*) Hujus diei magnam celebritatem illustrant Paulin. & Prudentius *suis hymnis*, & post eos late Herrera *d. l. 2. c. 19.*

15 q *B. Laurentii.*) Archidiaconi videlicet, qui Ofiæ in Hispania citeriori natus, & a sancto Valerio Cæsaraugustano Episcopo nutritus, & inter Ecclesiæ ejusdem ministros Levitæ ordine promotus, a santo Sixto Romano Pontifice Romam perductus, S. R. E. Archidiaconi titulo decoratus, miris virtutibus imbutus, a Valeriano Imperatore propter fidei confessionem, & ecclesiastici exactionem ærarii comprehensus, tot perpessus est cruciatus, ut vix jam sera cupiditas tormenta, quæ exerceret, inveniret: plura ex Martyrologiis, & historiis cumulavit Salazar *in martyrol. t. 2. die 10. Augusti.*

16 r *Dedicationis D. Michaelis.*) Aparitio D. Michaelis celebratur 8. Idus Maii; dedicatio vero, de qua in præsenti die 29. Septembris, qua die in monte Gargano consecrata fuit Archangelo Michaeli Basilica, ut refertur in Martyrol. Romano: cujus dedicationis mentio fit in Conc. Moguntin. *can. 36.* Capitular. Franciæ *l. 2. c. 35.* Sed in præsenti exponendum dixi difficilem canonem 35. Conc. Laodic. in illis verbis: " Non " oportet Christianos Ecclesiam Dei relinquere, & ad Ange- " los idololatriæ abominandæ congregationes facere, quod est " prohibitum. Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ i- " dololatriæ serviens, sit anathema, quia reliquit Dominum " nostrum Jesum Christum Filium Dei, & ad idololatriam " accessit. " In quibus expresse prohibetur cultus Angelorum: igitur non recte hic inter ecclesiasticas solemnitates enumeratur cultus Archangeli Michaelis. Pro hujus canonis expositione Baronius *t. 1. anno 60. n. 15. & anno 260. n. 69.* existimavit in eo canone a Patribus prohiberi venerationem falsorum Angelorum, eorum nimirum, quos celebrant idololatræ, alludentes fortassis ad genii cultum, cui Gentiles libabant, *l. nullus 22. C. Theodos. de pag. & sacrif.* ubi recte legit, *larem ignem, mero genium*, Eruditus D. Joseph de Retes *l. 8. opusc. c. 18.* Baronium sequitur Hurtado *de vero martyrio resol. penul. §. 6.* sed veram hujus canonis interpretationem adduxit Theodoretus *ad D. Paulum ad Colossenses, c. 2. vers. 18.* in illis verbis Apostoli: " Nemo vos seducat in cultu Angelorum; *ubi ait*: Qui " legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos indu- " cebant, dicentes legem per eos datam: mansit autem diu " hoc vitium in Phrygia, & Pisidia: quocirca Synodus quo- " que, quæ convenit Laodiceæ, quæ est in Phrygiæ Metro- " poli, lege prohibuit, ne precarentur Angelos, & ne relin- " querent Dominum nostrum Jesum Christum. " D. Augustinus *hæresi 39.* tradit veteres hæreticos fuisse, qui Angelici dicebantur; nimis in Angelorum cultu intenti. Eorum etiam meminit Epiphanius *hæresi 60.* unde *in dict. can. 35.* non prohibetur adoratio Angelorum, sed cultus, qui ab hæreticis illis impendebatur. Sequuntur Theodoretum Justellus *in d. can. 35.* Ambianas *ad Tertul. de anima, c. 1. observ. 2.* late Basilius Legion. *q. 3. scholast. c. 3. fol. 123.* Justel. *ad canones Eccles. universi. eo can. fol. 211.*

17 s *Omnium Sanctorum.*) Quam festivitatem primus Bonifacius Papa IV. Romæ instituit, cum ante ipsum eo die jejunium generale in Ecclesia servaretur. Isidorus *l. 1. de Eccles. offic. c. 39.* Sed cum ex ipsa Bonifacii institutione tantum Romæ celebraretur, postea Gregorius IV. in universali Ecclesia celebrandum decrevit, ut refert Sigebertus *in chron. anno Domini 835.* in hæc verba: " Tunc monente Gregorio Papa, & o- " mnibus Episcopis assentientibus Ludovicus Imperator statuit, " ut in Gallia, & Germania festivitas omnium Sanctorum in " Kalendis Novembris celebretur, quam Romani ex instituto " Bonifacii papæ celebrant. " Ante Ludovicum enim nulla extat mentio hujus festivitatis, etsi sæpius postea hoc festum recenseatur in Capitul. Caroli. *l. 1. c. 164. & l. 2. c. 36. & l. 6. c. 186.* notavit Baronius *in Martyrol. die 1. Novemb.*

18 t *Cum Clero, & populo.*) Consonat text. *in c. pronuntiandum, de consecr. distin. 3.* Et illæ festivitates, quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudaverint. Trid. *sess. 25. de reg. c. 12.* " Dies etiam festi, quos in diœcesi sua ser- " vandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, " etiam regularibus serventur. " Illustrant ultra ordinarios *in præsenti*, Azor. *t. 2. Instit. c. 16. q. 4.* Sanchez *t. 1. summ. c. 43. n. 9.* Suarez *t. 1. de relig. l. 2. c. 11. nu. 4.* Fagundez *in primum precept. Eccles. l. 1. c. 3 nu. 3.* Ricciulus *l. 6. lucubr. c. 11.* Cabedo *t. 1. decis. 87.* Quintanadvenas *in Sanct. Tolet. advers. 5.* Barbosa *de potest. Episc. alleg. 105. nu. 36.* Theophilus *t. 15. in hetereol. part. 2. punct. 5. fol. 280.* Debet tamen Sanctus esse ex vindicatis, idest a summo Pontifice relatis in albo Sanctorum, seu Beatorum: nec Episcopus potest festivitatem indicere Sancti alicujus veteris Testamenti, ut fuse probat Theophilus *supra*; nec juxta novum Decretum Urbani VIII. novum officium proponere pro Sancto etiam vindicato; sed debet officium de communi Martyris, aut Confessoris præscribere. In his Regnis Hispaniarum Episcopi possunt sanctis naturalibus ex propria diœcesi officium præscribere, ac illius festivitatem cum Missa propria indicere, ut probant Azor. *t. 2. Instit. l. 5. c. 6. q. 1.* Quintanadvenas *in Sanct. Tolet. dict. advers. 5. n. 10.* Escolano *in chron. D. Hierothei, pag. 481.* Fr. Marcel. a SS. Trinit. Discalceatus pro SS. Urbis nostræ Salmantinæ. Sed pro expositione isto-

rum verborum sciendum est, Romanum Pontificem posse in universa Ecclesia dies festivos indicere, cum in universo orbe jurisdictionem habeat spiritualem, Butrius *in præsenti, n. 27.* Suarez *dict. c. 12. n. 2.* idem de Concilio generali *ex c. 1. de consecr. dist. 3.* asserit Ricciulus *ubi supra.* Et quia omnia Episcopis competunt in suis diœcesibus, quæ Romano Pontifici in universa Ecclesia, exceptis his, quæ R. Pontifex sibi reservavit, *c. ad honorem, de auctorit. & usu pallii, c. novit, de judic. c. super, de sentent. excomm.* & hæc festorum indictio Pontifici non sit reservata; ideo Episcopus potest in sua diœcesi dies festos indicere. Nec hæc facultas sublata est decreto Urbani VIII. edito anno 1642. in illis verbis: " Ordina- " rios in Domino monemus, ut de cetero ab indictione sub " præcepto novorum festorum studeant abstinere. " Nam in eis tantum commendatur studium Episcopi, ut non plures, & sine causa noviter statuat dies festivos: nec desideratur consensus Cleri, aut populi, ut defendit Ricciulus *dict. cap. 11. n. 12.* Nec contrarium suadent verba supra relata; nam omissa interpretatione ipsius Ricciuli *n. 21.* Genuensis *in praxi, q. 51.* qui affirmant hæc verba non esse referenda ad ipsum actum indicendi festos dies, sed ad Clerum, & populum, ita ut festa ab Episcopo indicta Clerus & populus observare teneantur, dicendum est, Cleri & populi desiderari consensum, non ad ipsam festivi diei indictionem, sed ad receptionem ipsius præcepti, ita ut sicut olim concurrebant Clerus & populus in electionibus ecclesiasticis, populus non ut eligeret, sed ut electioni consentiret, ut probavi *in c. 2. de electi.* ita similiter in ipsa diei festi indictione debet utriusque consensus adesse, nisi aliter consuetudine introductum sit, quæ omnino servanda est, ut latius docent Barbos. *de potest. Episcopi, alleg. 105.* & *in dict. c. 12. Trident.* Trullench *in opere morali, c. 1. dub. 2. n. 2.* Magistratus autem sæculares dies festivos indicere non posse, sed statutos ab Ecclesia pœnis appositis confirmare valere, docent Cabedo *d. decis. 87.* Ricciulus *dict. c. 12.* Principes autem sæculares possunt instituere ludos, vacationem a litibus, & ab allis negotiis forensibus; sed non festos dies, ita ut qui in eis operis servilibus incumbat, vel non audiat sacrum, peccet; quia excedit hoc eorum potestatem. Azor. *dict. 2. part. cap. 16. vers. quinto quæritur.* Ad ecclesiasticam enim tantum potestatem pertinet designare dies festos, ut docent omnes DD. Catholici. Thom. Vvald. *in l. de sacramentalibus, c. 142.* Covarr. *lib. 4. variar. c. 19. n. 8.* Sotus *lib. 2. de justit. q. 4. art. 4.* Suarez *de relig. t. 1. l. 2. c. 2. ex n. 2.* Azor. *p. 2. instit moral. l. 1. c. 25.* Bellarminus *t. 1. contr. l. 3. de cultu Sanctor. c. 10. per totum.*

COMMENTARIUM.

19 Conclusio probatur.

EX his quatuor decisionibus talis deducitur disputanda assertio: " In feriis statutis in Dei honorem non licet o- " pera servilia facere, vel judicia exercere, etiam partibus " consentientibus, nisi necessitas adsit, vel pietatis causa " concurrat: in feriis vero indictis in gratiam hominum hæc " omnia prohibentur, nisi partes consentiant: *Probant eam " Concil. Tarrac.* can. 4. *ibi*: Nullus Episcoporum, aut Presby- " terorum, aut Clericorum die Dominico propositum cujus- " cumque causæ negotium audeat judicare, nisi & hoc tan- " tum, & Deo statuta solemnia peragant. *Turronense* 3. can. " 40. Item interdicatur, ne mercata, & placita usquam fiant " die Dominica, qua oportet omnes Christianos a servili " opere, in laude Dei, & gratiarum actione usque ad ves- " peram persevare. *Mogunt. anno* 1312. can. 37. Omnes dies " Dominicos cum omni veneratione decrevimus observari, & " a servili opere abstinere, & ut mercatus in eis minime fit, " nec placitum, ubi aliquis ad mortem, vel ad pœnam ju- " dicetur. *Rhemense per idem tempus* can. 35. Ut diebus Do- " minicis secundum Domini præceptum nulla opera servilia " quilibet perficiat, nec ad placita conveniat, neque mercata " exerceat. *Aquisgran.* 2. can. 17. Ideo placita illis diebus, " scilicet Dominicis, neque nuptias pro reverentia tantæ so- " lemnitatis celebrari visum est. *Matiscon.* 2. can. 60. *ibi*: " Nullus litium fomitibus vacet, nullus causarum actiones " exerceat. " Arelat. 4. *can. 16.* Altissiod. *can. 16.* Svession. apud Burchardum *lib. 2. Decreti, c. 8.* Parisiense 1. *c. 30.* Nicolaus I. *ad consul. Bulgar. c. 12. l. 2. §. fin. ff. si quis caut. l. 1. 2. 3. & 4. l. si feriatis 6. l. Divi 9. ff. hoc tit. l. 1. & 2. l. omnes 7. C. eodem tit. l. 7. ff. de offic. Proconf. l. si feriatis 36. ff. de recept. l. custodias 12. ff. de public. judic. l. 10. tit. 7. lib. 1. fori, l. 54. cum sequent. tit. 2. partit. 3.* Illustrant ultra ordinarios repetentes in præsenti, & congestos a Barbosa, Garanna, Kling, & Fermosino, Suarez *de relig. t. 1. de diebus festis, c. 29. 30. & 31.* Germon. *lib. 1. de sacror. immun. cap. penult. & lib. 2. c. 18. & lib. 3. c. 20.* Vighellius *in methodo juris can. pag. 131. & 449.* Fornerius *l. 2. rer. quotid. c. 21. & 22.* P. Greg. *l. 13. de Repub. c. 20. & l. 2. syntag. c. 16. & l. 1. partit. 19.* Carrasco *ad l. recapit. c. 2.* Pitheus *l. 2. advers. c. 20.* Turrianus *ad D. Clementem l. 7. c. 24. & l. 8. c. 33.* Brissonius *de v. s. fol. 225.* Mancinus *de triplici juris collat. c. 127.* Samuel Petitus *ad jus Atticum l. 2. tit. 1. pag. 41. & 50.* Didacus Perez *in l. 1. tit. 3. lib. 2. Ordin.* Balsam *in nemocan. tit. 7. in princ.* Ant. Silv. Clarus *lib. 1. de legib. 12. Tabul. c. 5.* Bronchorst. *enantioph. centur. 1. assert. 28.* Vultejus *de judic. lib. 2. c. 7. n. 280.* Hunnius *in encyclop. part. 2. tit. 3.* Donellus *l. 24. comment. c. 7.* Vega *in c. fin. de judiciis*, Parlad. *lib. 2. rer. quotid. c. fin. 5. part. §. 4.* Gilkenius *in l. unic. C. de litis contest.* Anton. August. *de legibus, in prœmio c. 9.*

c. 9. Gentilis *de temp. appellat. c. penult. & ult.* Azevedo *in l. penult. tit.* 2. *lib.* 1. *recap.* Corvinus *lib.* 3. *aphorism. juris Pontif. tit.* 16. unus pro cunctis Præceptor meus Primarius nostri Athenæi D. Franc. Sanchez Randoly, jam Regalis Gazæ Consiliarius *in c. conquestus, hoc tit.* Zangerus *de except. p.* 2. *c.* 7. Basilius Legion. *q.* 1. *de Agno typico*, *c.* 11. Fragolo *c.* 1. *de regim. Christ. Reip. lib.* 5. *disp.* 14. *nu.* 41. Anton. August. *in notis ad collect. can. Hadrian.*, *can.* 6. Marinis *lib.* 1. *resol. c.* 118. Borell. *t.* 2. *tit.* 38. *per tot.* Besoldus *in delibat. jur. tit. de feriis*, Robertus *lib.* 4. *rer. judic. c.* 15. P. Herodius *lib.* 3. *Pandect. tit.* 4. Hunnius *ad Treutl. volum.* 1. *disp.* 4. *quæst.* 19. Salmut. *ad memorab. Panciirol. tit.* 10. *pag.* 179. I. Gothofredus *in l.* 3. *C. Theodos. de exceut. & exact.*

20 Impugnatur tradita assertio.

Sed hæc assertio impugnari potest sequenti dubitandi ratione. Non licet Christianis dies, menses, aut annos observare, & certis diebus aliquid inchoare, omittereve, *cap. quis æstimaret* 26. *qu.* 7. in illis verbis: " Quis æstimaret, quam „ magnum peccatum sit dies observare, & menses, & annos, „ & tempora, sicut observant qui certis diebus, sive mensibus „ sive annis volunt, & nolunt aliquid inchoare. *Et* cap. non „ observetis dies, ead. quæst. „ Igitur omnibus diebus absque ullo delectu, an videlicet feriati sint, vel non, licet judicia exercere, aut opera servilia facere. Augetur hæc consideratio; nam si actus forenses diebus feriatis exerceri non possent, nec citatio ad diem feriatum fieri valeret, ut reus in eo compareat: sed ad diem feriatum citari potest, *c. ex litteris*, §. *fin. de in integr. restit.* ubi festum B. Luciæ assignatur ad comparendum, *c. cum dilecti*, ubi assignatur dies Dominica, *c. veniens*, §. 1. *in princip. de accusat.* ubi assignatur festum resurrectionis. Igitur quia diebus festis, & feriatis judicia exerceri valent. Augetur secundo hæc dubitandi ratio ex eo, nam publice intereſt propter rei judicatæ auctoritatem, sententiam semel prolatam effectum habere, etiamsi per sordes, per errorem, aut perperam judicatum sit, quia res judicata pro veritate habetur, *l. ingenuus* 25. *ff. de statu homin. l. res judicata* 208. *de reg. jur.* odio scilicet litium, quæ civilem concordiam minuunt, ex qua reipublicæ salus pendet. Igitur sententia diebus feriatis prolata defendi debet. Deinde in eam partem præsentis assertionis, ubi differentia assignatur inter ferias in Dei honorem statutas, & ferias in hominum gratiam decretas, expendi potest ea juris consideratio; nam feriæ repentinæ in hominum gratiam statuuntur: sed in feriis repentinis nec partibus consentientibus judicium formari valet, *l.* 1. *C. hoc tit. l. sive pars*, *C. de dilat.* Assn. *in praxi*, *lib.* 1. *c.* 3. Igitur prædicta differentia admitti non valet.

21 De festorum origine.

Quibus difficultatibus minime obstantibus vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, ex more fuisse juxta legem naturæ aliquem diem sanctificare, veluti Sabbatum; non tamen ex lege, donec Hebræis data fuit. *Exodi c.* 12. 16. & 20. *Levit. c.* 23. Et Cassianus *collat.* 8. *c.* 23. & D. Th. 1. 2. *qu.*100. *art.* 1. inter præcepta ante legem nota non connumerarunt festorum observationem, quæ reducitur ad tertium præceptum Decalogi: *Memento ut sabbata sanctifices*. Quod fuit tertium, postremumque primæ tabulæ, *c.* 5. *Deuteronom. cap.* 21. *Exodi*, *c.* 30. *Ezechielis*: quatenus in Decalogo continebatur, morale: quia vero Sabbatorum meminit, cæremoniale. Unde D. Thomas, & communius Theologorum schola cum ipso 1. 2. *q.*100. *art.* 3. *ad* 2. & 2. 2. *q.*122. *art.* 4. docuit hoc præceptum partim esse morale, partim cæremoniale: nempe quatenus absolutum est, & sine præfinitione temporis, & tantum significat Sabbata, idest festa esse custodienda morale; est; at vero quatenus Sabbatam præfinivit Judæis, cæremoniale est: explicant latius Sotus *de justitia lib.* 2. *q.* 3. *art.* 3. Covar. *lib.* 4. *var. c.* 19. Azor. 2. *p. Institut. moral. l.* 1. *c.* 1. P. Suarez *de relig. t.* 1. *l.* 2. *c.* 1. *per tot.* Mathias Felicius Franciscanus *in* 3. *præcept. Decalogi*, *c.* 3. Addendus etiam in hoc recte sentiens Theodorus Reintkgink ex fæce Lutheri *lib.* 3. *de regim. Eccles. class.* 1. *c.* 2. *ex n.* 6. Et quia omnia moralia præcepta, tamquam naturalia, repetita, & imperata sunt a Christo Domino in lege gratiæ, juxta illud Matthæi *cap.* 19. *Si vis ingredi ad vitam, serva mandata*: idem Marci *c.* 10. & Lucæ *c.* 18. Covar. *lib.* 1. *variar. c.*17. *n.* 1. Sotus *de justit. q.* 5. *art.* 4. quo in sensu moralia præcepta divina dici possunt ex D. Thoma 1. 2. *q.* 108. *art.* 1. *quodlibet.* 4. *art.* 13. Covarr. *l.* 4. *variar. c.* 19. *num.* 4. idem Reintkg. *lib.* 2. *class.* 2. *c.* 2. ideo festorum observatio sub lege gratiæ absolute, quamvis nullibi expresse inveniatur a Christo imperata, ad jus divinum referri debet. Suarez *t.* 1. *de relig. lib.* 2. *c.* 7. *ex n.* 2. Oluald. *ad Donell. lib.* 24. *c.* 7. *litt. K.* sub ratione scilicet formali quiescendi aliquo tempore ab operibus servilibus, qui est cultus Deo debitus, licet determinatio omnium festorum non pendeat a jure divino, sed ab humana designatione, ut cæremoniæ forma, & modus, quo festa celebranda sunt. Bellarminus *t.* 1. *lib.* 3. *de cultu SS. c.* 10. *vers.* 5. Tapia *lib.* 4. *Catene mor. t.* 1. *qu.* 27. *art.* 4. Est quippe erga Deum religio ex his, quæ ad jus naturale referuntur, *l.* 2. *ff. de just. & jur.* utpote omnibus hominibus natura ipsa dictante nota: sed qui cultus Deo debeatur, quo modo, tempore, aut loco propitiandus sit, hominis determinationi relinquitur, nisi Deus ipse expresse legem dederit, ut populo Hebræo dedit. Covar. *d. c. n.* 19.

22 De festorum fine, & ratione.

Deinde sciendum est, festorum observationem consistere in exteriori Dei cultu, & in cessatione ab operibus servilibus, ut Deo mente intenti, a ceteris profanis curis vacui famulemur, cultumque reddamus, quem ipsi debemus. Neque enim festi dies ad cultum Dei aliter conferunt, quam quia per cessationem a quibusdam operibus vacat homini colere Deum, Covarruv. *lib.* 4. *variar. c.* 19. *n.* 1. quæ est innata, ingenitaque pietatis erga Deum obligatio hominibus connaturalis, & ab ipso lumine naturali proveniens, juxta illud psalmi 45. *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus*. Ergo ad contemplationem Deitatis, & beneficiorum ab eo acceptorum, tam in lege data, quam in subsidiis ad vitam æternam consequendam, necessaria est vacatio, quies, requies. Pulchre Seneca *de tranquilit. vitæ*, *c. ult.* nec enim in cultum divini numinis incumbere possunt suis laboribus addicti, ut probat Ant. Clarus Silvius *ad ll. regias*, *c.* 5. *per tot.* Subserviunt deinde dies festi quieti, & reparationi vitæ per otium, secundum quod brutis etiam feriæ conveniunt, ne dicam servis. Plinius *l.* 17. *c.* 23. *Nihil est in opere naturæ, quod non exemplo dierum, noctiumque aliquas vices feriarum velit*. Horatius *l.* 3. *carm. Od.* 18.

Ludit herboso pecus omne campo,
Festus in pratis vocat otiosus,
Cum tibi nona redeunt Decembres
Cum bove pagus.

Concinit, sive expressius canit Tibullus *l.* 2. *eleg.* 1. *in princ.*

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla jugis, nunc ad præsepia debunt
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata Deo, non audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.

Facit sanctus Paulinus natali 9. S. Felicis.

Firmat enim ratio ista fidem, quæ tempora certis
Distinguit titulis, sacrosque per annua signat
Festa dies, quibus aut Domini miracula quondam
Antiqui tenuere patres, horrenda sinistris,
Et semper celebranda piis, quia commeda sanctis
Dura fuere malis: testis Memphiitica tellus,
Et mœre tunc factum sanctis humus, æquor iniquis,
Cæteraque his patria Ægypto, multasque per oras
Gesta, Deo memori nobis recoluntur amore.

Non tamen jubentur mortales feriari, ut ad hilaritatem publice cogantur, tamquam necessarium laboribus temperamentum interponentes, ut male arbitratur Seneca *in l. de tranquil. animæ*, *in fine*: sed ut haberent idoneum tempus, quo aliis curis sepositis, in Numinis veneratione toti essent; nam eam desidiam multis, ac magnis noxis contaminatam, quæ festa apud plerosque comitatur, quis labori non postposuerit, secundum rectam rationem? En quo penicillo ea festa exhibeat Philo Judæus *l. de Cherub. In omni festo nostro, & celebritate, quæ miramur; &c. hoc vero non esse feriari religiose, sed intemperanter furere*. Damnabat hoc ipsum in Judaicis festis, & carnali cessatione Sabbati D. Aug. *concione* 1. *in psal.* 32. verbis illis: " Otio abutuntur ad nequitiam, melius enim utique to„ ta die foderent, quam tota die saltarent. *Facit Origenes* lib. „ 4. contra Celsum, *ibi*: Festum enim, ut quidam Græcorum „ sapiens pulchre dixit, nihil aliud est, quam officium face„ re; & vere festum celebrat quisquis facit quod debet, sem„ per vacans precibus continenter, incruentas vict mas offe„ rens Deo suis precationibus, „ Plura de ratione instituendi dies festos congerit Joan. Dartis *ad d.* 3. *de consecr.* & ita violationem festorum gravissimis sæpe suppliciis, & ærumnis vindicatam a Deo esse, constat ex congestis ab Antonio Thesauro *decis.* 39. Covar. *l.* 4. *var. c.* 19. P. Greg. *l.* 1. *syntag. c.* 16. Majol. *dier. canicul. t.* 1. *pag.* 289. & 495. Delrio *in adag. sacr. t.* 1. *pag.* 230. Balthassare Cobatio *in l. de prud. ex pag.* 416. *usque ad* 436. Roberto *l.* 4. *rer. jud. c.* 15. Solorzano *t.* 2. *de Jure Indiar. l.* 1. *c.* 27. *n.* 99.

23 Feria quid?

Deinde sciendum est, ferias appellari dies a judicialibus actibus vacuos, *l. pridie*, *ff. de feriis*, sive ut docetur *in l. penult. ff. eodem*, a forensibus negotiis vacationem dantes, quos feriatos appellat Ulpianus *in l.* 2. *ff. hoc tit.* & feriatos *in l. custodias* 12. *ff. de public. jud. leg. si feriatis* 26. *ff. de receptis*. Imperatores eos dies appellant festos, quibus dies communes opponuntur, *l.* 2. *C. de statuis*, & *imagin.* dies devotionum *in l. ult. C. Theod. de naviculariis*. Etiam feriæ dicuntur dies nefasti eo quod nefas sit illis diebus jure, judiciove quidquam proponere; quibus opponuntur fasti, in quibus judici fari licet tria illa verba *Do, Dico, Addico*, ut eleganter expressit Ovidius: *ibi*:

Ille nefastus erit per quem tria verba silentur:
Fastus erit per quem lege licebit agi.

His tribus verbis quartum, *Addico* videlicet, addit Turnebus *l.* 30. *adverſ. c.* 35. quem merito refellit Gentilis *de diverſ. l.* 30. *adverſ. c.* 35. quem merito refellit Gentilis *de diverſ. l.* 30. *adverſ. c.* 35. quem merito refellit Gentilis *de diverſ. l.* 30. *adverſ. c.* 35. quem merito refellit Gentilis *de diverſ.*

rum solemnia conventualiter celebretur. Ubi Honorius secernit diem festum a feriato, quasi feria accipiatur pro die communi hebdomadæ: festus autem pro die divinis officiis dicato, licet alio sensu Div. Isidor. *l.* 5. *orig. cap.* 30. festos dies a feriatis dividat, festos accipiendo pro feriis divinis officiis institutis, ferias vero pro hominum gratia constitutis, ut exponunt Baron. *anno* 58. *n.* 34. Forner. *l.* 1. *rer. quotid. c.* 4.

24 Definitio feriarum.

Deinde sciendum est, ferias variis modis definiri ab interpretibus. Cujacius ad hunc titulum Cod. ait, ferias esse dilationes litium, sed eum docte refellit Gentilis *d. c.* 15. & ita ait; *Feriæ sunt vacationes a forensibus negotiis, quæ de plano expediri non possunt, moramque patiuntur*. Vel definiri possunt, licet prolixius: " Feriæ sunt dies, vel divino cultui dicati, „ vel facto publico, communive, in quibus cessatur ab om„ nibus, quæ illum cultum impedire possunt, nisi sessio Ju„ dicis requiratur, aut periculum in mora est. „ Quæ definitio omnem complectitur feriarum materiam: nam in ea dicitur, *divino cultui dicati*, ut comprehendantur omnes dies festivi, Deo, & Sanctis ejus dicati, *vel facto publico communive*, apponitur, ut comprehendantur feriæ humanæ, tam indictæ, quam repentinæ, hominum videlicet gratia instituræ, quæ publice nunciabantur, & indicebantur ante Imperatores a Pontificibus, & Magistratibus majoribus dumtaxat, Macrobius *l.* 1. *Saturn. c.* 10. Gutherus *l.* 1. *de Jure Pont. c.*23. Postea Imperatoribus tantum hæc facultas competebat, unde Imperiales dicuntur feriæ *in l. a nullo*, *C. eod. tit.* Nec alii Magistratus eas indicere possunt, *l.* 4. *C. hoc tit. l.* 7. *ff. de off. Proconf.* Nec contrarium probat textus *in l. Præsides* 4. *ff. hoc tit.* nam ibi feriæ novæ non indicuntur, sed tantum feriis jam ante constitutis, quibus certum tempus definitum non est; tempus assignatur secundum morem regionis, ut docet Olualdus *ad Donell. l.*24. *comm. c.*7. *litt. E.* hodie non ab Imperatoribus dumtaxat, sed a singulis Potestatibus in suis ditionibus indici possunt. Cetera verba definitionis quid importent, facile ex supra traditis, & infra dicendis liquet.

25 Feriarum divisio.

Feriarum divisio succedit; quædam enim sunt stativæ, quædam conceptivæ, quædam imperativæ, de quibus singulis agunt Marcus Varro *l.* 5. *de lingua Latina*, Macrobius *l.* 1. *Saturn. c.* 16. Alex. ab Alex. *l.* 5. *dier. genial. c.* 7. sed facilius, commodiusque eas dividemus in divinas, divini cultus gratia statutas: & humanas, hominum causa indictas, & repentinas. Divinæ sunt omnes dies Dominici, & festivi, de quibus aliqua notavi *in c.* 1. *cap. fin. hoc tit.* Humanæ hominum causa instituræ sunt: primo nundinæ, *l.* 1. *C. de nundinis*: secundo feriæ messium, & vindemiarum, quarum mentio fit *in l.* 1. 2. 3. & 4. *ff. hoc tit.* quas vulgus appellat æstivas, quia æstivis fervoribus mitigandis statuuntur. Gellius *l.* 9. *noctium*, *c.* 15. & rusticas ex eo, quia secundum Ulpianum *in l.* 1. *ff. hoc tit.* Gregorium nostrum *in præsenti*, circa rem rusticam feriati occupantur: eas Imperator Antoninus oratione in Senatu habita introduxit, *d. l.* 1. *ff. hoc tit.* quam illustrat Gutherus *l.* 1. *de offic. domus*, *c.* 30. Vindemiarum ergo, & messium tempore causas in foro agere legibus non licebat. Statius *l.* 4. *Sylv.*

Certe latitiæ non miscent jurgia leges,
Et pacem piger annus habet, messesque reversæ
Dimisere forum, nec jam tibi turba reorum
Vestibulo, querulique rogant exire clientes.

Minutius Felix in Octavio: " Ad vindemiam feriæ judicia„ riam curam laxaverunt. *D. Cyprianus* ep. ad Donatum: „ Tempestivum prorsus hoc tempus est, quo indulgente vin„ demia solutus animus in quietem solemnes, ac statutas anni „ fatigantis inducias fortitur. „ His feriis Imperatores geminos, sive duos menses assignaverunt *in l. publicas*, *l. omnes*, *C. hoc tit. l.* 2. *eod. tit.* ubi feriis messium constituitur tempus a die 8. Kalend. Julii usque ad Kalendas Augusti; & feriis vindemiarum assignatur tempus a die 10. Kalend. Septembris usque ad Idus Octobris: atque ita quosdam hanc legem interpretari de quatuor mensibus perperam, jam notarunt Cujac. *de præscript. c.* 13. Vultejus *l.* 2. *de judic. c.* 7. *num.* 315. sed postea pro cujuslibet loci consuetudine a Præsidibus Provinciarum statuebantur, *l.* 4. *ff. hoc tit. l. si in aliquam* 7. *ff. de offic. Proconf.* de hoc tempore vindemiarum & messium exaudiendi sunt Papinianus *in l. aut* 10. *ff. ad Turpil.* in illis verbis: *Triginta dies repetendis reis D. Trajanus utiles esse interpretatus est, ex die scilicet quo feria finitæ sunt*. Paulus Vvarnefridus *de gestis Longob. leg.* 3. illic; *Triginta diebus ad vindemiam jucundaretur*. Ubi notavit Lindembrogius *pag.* 351. Recesvinthus *in l.* 10. *tit.* 1. *l.* 2. *feri*, ibi: " E otrosi en el „ tiempo mientra coxen las mieses quinze dias por andar de „ Agosto, e quinze andados de Settiembre. E en la provin„ cia de Cartago, porque desgastan las langostas el pan mu„ cho, mandamos guardar las ferias quinze dias por andar „ de Junio, fasta quinze dias andados de Agosto. Otrosi „ mandamos guardar el tiempo de las vindemias de quinze „ dias por andar de Settiembre, fasta quinze dias andados „ de Ottubre. „ Plura de his feriis rusticis tradunt Pithæus *l.* 2. *adv. c.* 20. Ricciulus *ubi supr. c.* 92. Doctores *in c. fin. de jud.* Gothofredus *in d. l.* 2. Robertus *l.* 4. *rer. jud. c.* 15. Herod. *l.* 3. *Pandect. t.* 4. Hunnius *volum.* 1. *d. p.* 4. *q.* 19. Salmut. *ad Pancir. t.* 10. *pag.* 179. Borellus *t.* 2. *decis. tit.*38. Germonius *l.* 1. *sacr. c. pen.*

26 De repentinis feriis.

Repentinæ feriæ dicuntur, quæ ita causa ferente indicuntur, nulla certa lege, aut tempore ordinario inclusæ, quæ ideo dicuntur extraordinariæ, *l. sed & si*, §. *si feria*, *ff. ex quibus causis majores*: & repentinæ, *l. sive pars*, *C. de dilat.* eo quod repente, emergente causa indicuntur, veluti ob terræ motum, Gellius *l.* 2. *noct. c.* 28. ob res prospere gestas, vel in honorem Principis, sive ob ejus natale, *l.* 1. *l. omnes dies*, *C. hoc tit.* Alex. ab Alex. *l.* 5. *dier. genial. c.* 7. sed Emmanuelis Comneni novella *de feriis*, sublatæ sunt feriæ illæ ob natalem, aut creationem Principis institutæ. Plutarchus etiam scripsit in politicis, Anaxagoram postulasse, ut quo die decederet, pueri feriarentur in studiis, ac ludo sese oblectarentur. Eas ferias Consul, aut Prætor pro temporum varietate, *l.* 2. §. 33 *ff. de orig. juris*: indicebat, & etiam conceptivas, his verbis: *Dies noni populo Romano, Quiritibus Compitalia erunt: Quando concepta fuerint, Nefas*. Refert Gellius *lib.* 10. *noctium*, *c.* 24. Quin etiam Rex Sacrificulus religionis causa easdem ferias indicebat, ut ex Varrone probat Brodeus *l.* 1. *hist. fori*, *c.* 8. de quibus feriis repentinis publicæ alicujus lætitiæ causa intelligendus est textus *in leg.* 17. *Cod. Theod. de pagan. & sacrific.* ubi ita Imperatores sanxerunt: „ Ut profanos ritus jam salubri lege submovimus, ita festos „ conventus civium, & communem omnium lætitiam non „ patimur submoveri: unde absque ullo sacrificio, atque ul„ la superstitione damnabili exhibere populo voluptates se„ cundum veterem consuetudinem, inire etiam festa convi„ via, si quando exigunt publica vota, decernimus. „ Postrema hæc verba de repentinis feriis accipi posse notavit Filesac. *l.* 1. *select. c.* 6. *ad fin.* Plura congerunt de his feriis repentinis P. Gregorius *l.* 2. *syntag. c.* 16. Eriyzius Puteanus *l. singulari de nundinis*, *c.* 8. Greg. Lopez *in l.* 1. *tit.* 33. *part.* 7. *gloss.* 2. Scaccia *de jud. l.* 2. *c.* 5. *n.* 12. Roa *de sacro*, & *profano*, *c.* 5. Ricciulus *ubi sup. c.* 28. Brilsonius *in d. l. Dominico*, *C. de Spectac.* Robertus *l.* 4. *rer. judic. c.* 15. Oluald. *ad Donel. l.* 24. *c.* 7. *litt. H*, Ant. Thesaurus *decis.* 39. Rosinus *de antiquit. l.* 4. *c.* 3. Solorzanus *l.* 1. *de jure Indiar. cap.* 7. *n.* 68. Et cum antiquitus major anni pars feriis absumeretur, plures sublatæ fuerunt ab Imperatoribus. Claudium raria sacrificia, multaque ferias abrogasse, actor est Dio Nicæus *lib.*60. Deinde M. Antoninus ferias coarctavit, & 235. dies rebus agendis ac litibus disceptandis constituit, teste Julio Capitolino; ut enim ajebat Cassius apud Tacitum *lib.* 13. si pro benignitate Divis grates agerentur, nec totus quidem annus supplicationibus sufficeret, ideoque oportet dividi sacros, & negotiosos dies, quibus divina colerentur, & humana non impedirentur.

27 Quæ in feriis prohibeantur.

Præmittendum etiam est, feriis, tam divinis, quam humanis, seu diebus feriatis, non omnia exerceri licere, quæ ceteris diebus communibus fuit permissa: jurgia enim agitare diebus feriatis lege XII. Tabul. prohibitum fuit illis verbis: *Feriis jurgia amovento*: ex Cicerone *l.* 2. *de legibus*, refert Gothofredus *in quatuor fontibus*, *tabula* 1. expresserunt Ovidius *leg.* 1 *Fast.*

Lita vacent aures, insanaque protinus absint
Jurgia, differ opus livida turba tuum.

Martialis *l.* 10. *epigr.* 87.

Natalem colimus, tacete lites.

Illustrant Brissonius *de formulis*. Omnes igitur actus contentiosæ jurisdictionis, diebus feriatis celebrati, nulli sunt, *l.* 2. 7. & 8. *C. hoc tit.* ut citatio, seu mandatum de comparendo, *l. fin. Cod. hoc tit.* etiamsi apponatur exceptio feriarum. Ricciulus *d. l.* 6. *c.* 25. Consuetudine tamen receptum est, ut citatio decreta die juridica, licet exequatur die feriata, nihilominus defendatur, *Clement.* 1. *vers. Festivis*, *de V. S.* Ricciulus *sup. num.* 21. Testes etiam jurare diebus feriatis prohibentur, quamvis si juraverint die communi, possint examinari etiam diebus feriatis, quia tunc non requiritur causæ cognitio; unde dies feriati regulariter computantur in termino probatorio; quia licet non possint in eis testes jurare, possunt tamen examinari, & depositio retrotrahitur ad diem juramenti. Tandem sententia, & alii actus judiciales diebus feriatis gesti nulli sunt ipso jure, *cap. fin. hoc tit.* quoad ea vero, quæ sunt jurisdictionis voluntariæ, dies feriati non attenduntur, imo hujusmodi actus validi sunt, veluti emancipatio, manumissio, testamenti factio, contractus, transactiones, *l.* 2. *l. actus*, *Cod. hoc tit.* Tutor autem, vel curator diebus feriatis dari non prohibetur, *l.* 2. *ff. hoc tit. l.* 3. §. *penult. ff. de tutor.* Paulus *l.* 5. *sent. tit.* 23. §. 3. nec excusatio tutoris audiri, *dist. l.* 2. *ff. hoc tit.* Tutor etiam die feriato dari potest, *l. nec mandante* 6. §. 2. *ff. de tutor. & curat.* nisi ex inquisitione dandus sit, *l.* 7. *ff. de confirm. tut.* Et generaliter in his, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, nullam rationem feriarum haberi rescripsit Trajanus *in l. ultim. ff. hoc tit.* etiam in his, quæ sunt jurisdictionis contentiosæ, quamplures causæ sunt, quæ exerceri valent diebus feriatis, veluti causa alimentorum, *l.* 2. *ff. hoc tit. l.* 35. *tit.* 2. *p.* 3. docent Surdus *de alimentis tit.* 8. *privilegio* 2. *num.* 7. Lara *in l.* 1. §. 1. *ff. vel pares*, *ff. de l. agnosc.* Castillo *de alimentis capit.* 3. nisi alimenta præterita petantur, quia in eis non militat eadem ratio, ac in futuris, ut exponit late Carrasco, *d.* §. 2. *n.* 9. Causæ etiam publicæ, & fiscales diebus feriatis tractari valent, *l. publicatas*, *Cod. hoc tit.* item judicia liberalia, *l.* 3. *ff. hoc tit.* Et omnia, quæ Reipublicæ expedit tractari, veluti quæ ad disciplinam militarem pertinent, ut quæ cognitionem custodiarum continent, *l. penulc. ff. hoc tit.* quam accipiunt Gothofredus *ibi*, *litt.* E, & Vultejus *l.* 2. *de judiciis*, *cap.* 7. *num.* 331. de his qui in carcere ob maleficia deti-

detinentur, sed non recte; nam sive illi sint milites, sive pagani, qui carceri mancipati reperiuntur, non possunt diebus feriatis puniri, vel eorum causæ tractari, ut probavi supra *in cap. 1. verbo Vel ad pœnam*. Quare rectius existimavit Samuel Petitus *ad jus Atticum l. 1. tit. 1. fol. 52.* qui custodias in eo textu pro excubiis, seu vigiliis militum accipit, quas interdum circumire Tribunum, vel eum qui exercitui præest, disciplinæ esse militaris Macer docet *in l. officium 12. ff. de re milit.* Quemadmodum ergo solicite servandæ sunt hæ stationes custodiarum, ita etiam accurate de militibus quæstio habebatur, suppliciumque sumebatur, si eas deserebant. Unde cum Trajanus rescripto suo *in dist. l. ult.* excepisset a communi regula causas, quæ ad disciplinam militarem spectant, necessario accipiendus est de custodiis vigilum, quæ valde disciplinæ militari necessariæ sunt: quomodo etiam custodia accipitur *in l. custodiam 12. ff. de public. judic.* Tandem de omnibus rebus, quæ tempore perituræ sunt, seu quarum interitus timetur, jus dici posse testantur Ulpianus *in l. 3. ff. hoc tit.* Gregorius noster *in præf.* qui generaliter definiunt, ut quoties necessitas urget, vel pietas suadet, feriarum ratio non habeatur: necessitas, veluti si debitoris fuga timeatur, qui etiam capi potest die feriata, ut probat Carrasco *d. §. 2. n. 10.* qui *n. 11.* etiam docet idem procedere in causa criminali, in qua propter periculum fugæ procedi posse ad formandum processum capiendosque reos, pietas suadet in omnibus casibus piis, quos, & alios enumerat Fornerius *l. 2. rerum quotid. c. 22.* P. Greg. *l. 2. syntag. c. 16.* Robertus *l. 4. rerum jud. c. 29.* Otualius *ad Donel. l. 24. comm. c. 7. litt. K*, Frances *de competentiis q. 55.*

28 Traditur ratio conclusionis.

Quibus ita animadversis apparet jam præsentis assertionis vera ratio, quæ ex eo provenit; nam feriæ divinæ constitutæ sunt in Dei honorem, ut divinis laudibus homines dedicentur: unde in eis non debent humanis actibus operam dare, ut ex Tibullo & aliis jam supra probavi: etiam ut his diebus homines requiem habeant. Simmachus *l. 3. ep. 13.* ibi: " Ut feriarum requie laboris fastidium tergant. *Seneca* „ de tranquillit. vitæ, *ibi*: Legum conditores festos institue„ runt dies, ut ad hilaritatem homines publice cogerentur, „ tamquam necessarium laboribus interponentes temperamen„ tum. *Cicero* libro secundo de legibus, *ibi*: Feriarum, fe„ storumque dierum ratio in liberis requiem habet litium, „ & jurgiorum. „ Unde solebant præcones Romæ Flamines „ anteire, qui indicerent feriis publicis ab operibus abstinere. Festus Pompejus ibi: *Proclamitores dicuntur, qui Flaminibus Diali, Quirinali, Martiali antecedentes, exclamant feriis publicis, ut homines se abstineant ab opere, quia his opus facientem videre, irreligiosum*. Unde in his diebus judicia exerceri non possunt, quoniam per jurgia, & lites homines valde distrahuntur a divinis officiis, & ad odia excitantur, *c. unico, de syndico, c. 1. de restit. spol. l. 6.* ideo debet omnis judicialis strepitus quiescere in diebus feriatis, qui ob Dei reverentiam noscuntur esse statuti; & quia feriæ divinæ non sunt primo & principaliter introductæ in favorem partium litigantium, sed in honorem Dei, & publicam quietem, etiam consensu privatorum in eis judicium agitari non valet. Feriis tamen introductis favore hominum ipsi litigatores renuntiare possunt, & per consequens causæ in judicio tractari, ex vulgari juris regula, quæ dictat, quemlibet posse renuntiare his, quæ pro se introducta sunt *l. pen. C. de pactis*, late probavi *in c. si diligenti, de foro comp.* Unde partes possunt consentire, ut feriis vindemiarum & messium, aliisque humanis jus dicatur.

29 Respondetur difficultatibus.

Nec obstat difficultas supra expensa, *ex c. qui æstimaret, c. non observatis*. Nam textus illi producuntur in eis, qui superstitiose dies, vel tempora observant, quia ea fausta, vel infausta ad aliqua opera facienda, vel inchoanda esse credunt; non autem de fidelibus Christianis, qui ex præcepto Ecclesiæ diebus festivis opera servilia non exercent, aut jurgia removent. Fuit enim apud antiquos magna superstitio circa dies festivos Ægyptiorum, quam magnopere detestaruat Patres in auctoritatibus congestis a Gratiano *in d. causa 26.* ut plura adducentes pro illustratione textus *in d. c. non observetis*, tradiderunt Stanislaus *de festo corporis Christi, cap. 9.* Forsterus *in Tacitum, fol. 30.* Demisterus *ad Rosinum, lib. 1. fol. 38.* Ambianus *ad Treutl. de idololat. c. 9. observ. 1.* Nec augmentum difficultatis deductum *ex d. c. ex litteris c. cum dilecti*, adversatur; nam pro illorum interpretatione duo in citatione consideranda sunt, mandatum videlicet de comparendo, & ejus executio seu realis citatio. Mandatum comparendi die feriato præstitum, nullius momenti est, quia actus judicialis est & debet exerceri die juridico: si autem mandatum ipsum præstetur die utili ad comparendum usque ad diem feriatam, vires habet, quia dictio illa, *usque*, est appositа exclusive, & die sequenti mandatum adimpleri debet: quo casu procedunt textus *in d. c. tam ex litteris, §. fin. de in integ. restit. c. veniens, §. unde, de accusat.* Idem dicendum est, si citatio fiat ad diem feriatum: nam præpositio *ad*, eodem modo accipit, *d. c. cum dilecti, de dolo*: exequutio autem ipsius mandati, seu realis citatio die feriato facta jure communi nulla est, *leg. final. C. hoc tit.* licet hodie in praxi receptum sit, ut citatio decreta die juridica valide exequatur die feriata, ut testatur Ricciulus *lib. 6. lucubr. c. 25. n. 21.* Germon. *dist. c. 20. nu. 50.* Unde textus supra adducti accipiendi sunt, cum citatio decreta est die utili, ut reus compareat usque, vel ad diem feriatam. Nec etiam obstat, quod dicebamus de auctoritate rei judicatæ; nam principium illud procedit, cum sententia rite, & solemniter, licet injuste, prolata est; tunc enim res judicata pro veritate habetur; contrarium vero procedit, si sententia contra jus, & non solemniter profertur, veluti si diebus feriatis, quo casu sententia ipso jure nulla est, ex præsenti textu; non enim potest rei judicatæ vim habere quod contra leges factum est, *lege nec non 28. §. quod, ff. ex quibus causis majores, l. cum sponsus 11. §. si res, ff. de public. l. 7. §. ait Prætor, ff. de pact.* quia licet facti quæstio in potestate jus dicentis, aut judicantis sit, juris tamen auctoritas nequaquam, *l. ordine 15. Digest. ad municip. l. 4. C. quomodo & quando*. Nec tandem ultimum augmentum adversatur, deductum *ex d. l. sive pars, C. dilationibus*: nam verum est, non tantum feriis solemnibus Majestati divinæ dicatis renuntiari non posse, verum nec feriis repentinis, ex eadem ratione: quia videlicet feriæ repentinæ non privatorum gratia, sed publicæ lætitiæ causa, veluti ob natalem Principis, seu rem prospere gestam indicuntur, ut supra probavi: unde illis renuntiare privati non possunt; feriis autem vindemiarum, vel messium renuntiare valent, quia in eorum tantum gratiam statutæ sunt.

30 Exponitur c. auguriis 26. q. 5.

Sed primo superiori assertioni obstat textus *in can. 89. Concil. Carthag. 4.* relato a Gratiano *in c. auguriis 26. qu. 6.* in illis verbis: *Auguriis, vel incantationibus servientem, a conventu Ecclesiæ separandum: similiter & superstitionibus Judaicis, vel feriis inhærentem*. Ex quibus constat: ferias observantem a communione Ecclesiæ esse arcendum; igitur quia non licet ferias observare, atque in eis otiari, a jurgiisque cessare. Cui difficultati respondendum est, Patres *in dict. can. 89.* agere de observantibus Judaicas superstitiones, qui ferias custodiebant, nec aliquod opus inchoabant in eis, aut perficiebant, de quibus Gregorius *in cap. pervenit 12. de consecr. dist. 3.* ita ait: " Pervenit ad me, quosdam perversi spiritus homines, pra„ va inter vos aliqua, & sanctæ fidei adversa seminasse, ita „ ut die Sabbati aliquid operari prohiberent; quos quid „ aliud, nisi Antichristi prædicatores dixerim? qui veniens „ diem Sabbatum, atque Dominicum ab omni faciet opere „ custodiri. Quia enim mori se, & resurgere simulat, habe„ ri in veneratione vult diem Dominicum: & quia judaiza„ re populum compellit, ut exteriorem legis ritum revocet, „ & sibi Judæorum perfidiam subdat, coli vult Sabbatum. „ Aliud quoque ad me perlatum est, vobis a perversis ho„ minibus esse prædicatum, ut Dominico die nullus debeat „ lavari. Et quidem si pro luxuria, & pro voluptate quis „ lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedi„ mus; si autem pro necessitate corporis, hoc nec die Do„ minico prohibemus. „ Illi enim tamquam Judaicis super„ stitionibus dediti, a communione Ecclesiæ sunt repellendi. At vero in præsenti titulo agitur de feriis Christianorum a Catholicis rite observandis, quo modo accipiunt textum *in dict. c. auguriis*, Archid. & Turr scremata, *ibi*.

31 Intelligitur textus in c. fin. de Judiciis.

Secundo supra traditis adversatur textus *in c. final. de judic.* ubi cum opposita esset in judicio legitimo tempore exceptio vindemiarum, non fuit admissa, imo ea insuper habita, in causa processum legimus. Igitur quia feriæ humanæ non impediunt litium exitum. Pro cujus textus interpretatione Balboa *ibi*: & Vega *num. 59.* Garanna *num. 21.* affirmarunt exceptionem vindemiarum rejectam fuisse in eo textu pietatis, & necessitatis causa, quæ in eo aderat, videlicet ut Rector electus mitteretur in possessionem. Cui interpretationi adjungit Cujacius *ibi*, ferias non observari, ubi res de qua agitur, si ejus exitus impediatur, eliditur, aut perit, *l. 1. paragr. penult. l. 3. ff. hoc tit. l. 2. ff. de custod. rerr.* Unde apud Svetonium *in vita Augusti* legimus, ne quoddam negotium mora elaberetur, triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum, idest juri dicundo, accommodari. Sed hac solutione omissa, veriorem existimo interpretationem Guillelmi in eo textu, qui testatur, eam accepisse a Iudicibus; coram quibus in ea causa extitit Advocatus. Affirmat ergo rejectam fuisse in eo textu exceptionem feriarum, quia etsi aliquæ personæ ipsius communitatis Cervienfis vindemiis operam darent, aliæ tamen causæ interesse poterant absque eo, quod vindemiis detraheretur, præcipue cum possit communitas ipsa syndicum designare, qui nomine ipsius communitatis in judicio compareret, causamque ipsam tractaret.

32 Adducitur textus in l. miles, §. sexaginta ff. de adult.

Tertio opponitur textus *in l. miles 11. §. sexaginta, ff. ad l. Jul. de adult.* ubi asseritur, sexaginta dies lege Julia marito concessos ad accusandam uxorem de adulterio, utiles esse, enumeratis etiam diebus feriatis, si modo facultatem adeundi Præsidem accusator habuit. Ex quo Papiniani responso expresse probatur, licere diebus feriatis accusationem coram Præside proponere, & per consequens judicium criminale diebus feriatis agitare. Pro cujus textus interpretatione sciendum est, lege Julia de adulteriis tempus sex mensium ad accusandam mulierem de adulterio præfinitum fuisse, *l. mariti 29. §. sex mensium, ff. ad leg. Jul. de adult.* ex quibus marito, patrique duo assignabantur, intra quos nulli alii accusandi facultas erat, *l. is cujus 14. §. marito, ff. ad l. Jul. de adult.* Lege ita cavebatur: " Viro patrique, qui in pote„ state habet, sexaginta dies ad accusandum dantur, intra„ que eos dies cuilibet præferuntur: post eos dies patri, ma„ ritoque lapsos extranei admittuntur. „ Quatuor vero menses utiles extraneis dabantur, *lege si maritus 4. §. extraneis, ff. ad l. Jul. de adult.* qui computabantur in nupta ex die divortii; in vidua a die commissi criminis, *l. si mariti 29. §. sex mensium, ff. ad leg. Jul. de adult.* Brissonius *de adult. pag. 189.* Menses autem isti erant utiles, *d. leg. miles, §. 5. leg. adult.*

adult. 5. l. jure 6. lege si quoniam 15. leg. si ea 22. C. eod. titulo, lege prima in principi. ff. de diverf. & tempor. Unde feriatis includebatur, in quibus accusator copiam habuit adeundi Præsidem, vel Prætorem, quem non tenebatur adire pro tribunali sedentem, sed de plano cognoscentem, ut *in l. non est 7. ff. de manumiss. vindicta. l. unicus 18. §. custodiæ, ff. de quæstion. l. 3. §. si causa, ff. de bonor. possess. lege prima, §. dies, ff. si quis ordo in bonorum possess. l. sed si pupillus 11. §. proscribere, ff. de instit. act. l. nec quidquam, §. de plano, ff. de offic. Preconf.* in itinere, vel domo: quare cum de plano tantum judex adiri possit, ideo etiam dies feriati computantur in termino concesso ad accusandum.

33 Exponitur can. 35. Concilii Rhemensis.

„ Quarto supra traditis opponi potest textus *in canon. 35.* „ Concilii Rhemensis, *in illis verbis*: Ut diebus Dominicis „ secundum Domini præceptum nulla opera servilia quilibet „ perficiat, nec ad placita conveniat, nec etiam donationes „ in publico facere præsumat, nec mercata exerceat. „ In „ quibus prohibetur donatio, quæ inter opera servilia, aut actus judiciales referri non potest, sed potius ad actus liberalitatis, & gratitudinis spectat, qui in capite finali, *hoc titulo*, permittuntur. Cui difficultati respondendum est, non prohiberi a Patribus quamcumque donationem absolute, sed quæ publice fit, idest apud acta, cum solemnitate, quæ apud Gallos, & Longobardos in usu erat, juxta legem *1. tit. 15. lib. 2. legum Longob.* in illis verbis; " Si quis res suas alii „ thingare voluerit, non absconse, sed ante liberos homines „ ipsum garathinx faciat, quatenus qui thingat, & qui gisi„ les fuerint, liberi sint, ut nulla impostеrum oriatur con„ tentio. „ Unde PP. *in dicto can. 35.* prohibent donationem in publico fieri, idest cum solemnitate judiciali, ne ejus occasione homines distraherentur a diei Dominici cultu.

34 Exponitur l. arbiter 40. ff. de receptis.

Ultimo adversatur textus *in leg. arbiter 40. ff. de receptis*, ubi proponitur arbitrum jussisse partes adesse Kalendis Januarii, & ante eum diem decessisse: quæstionis fuit, an pœna commissa esset, si alter ex litigatoribus non adfuit die assignata? Et respondet Consultus, commissam pœnam non esse, quia arbiter decessit; igitur si non decessisset, arbitrium dici, & pœna committi poterat Kalendis Januarii: sed ipsa dies Kalendarum feriata erat apud Romanos, magnoque cultu paganico celebrata. Concilium Altissiod. *can. 1.* ibi: " Si „ quis Kalendis Januariis ritu Paganorum colere, vel aliquid „ plus novi fecerit, propter novum annum, aut mensem, „ cum lampadibus, & epulis in domibus præstare, aut per „ vicos, & plateas cantores, & choros ducere præsumpserit, „ anathema sit. „ Concilium Turon. 2. *can. 16. capite si quis Kalendas 14. cap. non licet 26. quæstione septima*. Concilium Toletanum 4. *can. 10.* Plura congesserunt de hac solemnitate apud Romanos Basilius Legion. *quæstion. secunda scholast. c. 2. in princ.* Pater Roa *l. 4. singul. c. 11.* & *de die natali cap. 1.* Amaya *in lege unica, C. de auro coronario*, Marcellus Donatus ad Svetonium *in Tiber. can. 33.* Salas *ad Perronium linea 28. folio 117.* Spondanus *anno secundo*, Valerius *ad Marcellinum l. 23. fol. 152.* Stuchius *de sacrific. Gentil. fol. 13.* Dorleans *ad Tacitum l. 2. fol. 297. & 503.* Baronius, & Salazar *in Martyrologium die 1. Kalend. Januarii*. Igitur diebus feriatis potest judicium agitari, præcipue cum arbitria redacta sint ad instar judiciorum. Pro cujus difficultatis solutione Faber *in rationali ad textum in d. lege si arbiter*, existimant, jure Pandectarum partes coram arbitris etiam diebus feriatis comparere potuisse; quod postea Justiniani constitutione *in lege omnes 7. C. hoc titulo*, prohibitum fuit. Qua solutione omissa, dicendum est, jure etiam Digestorum arbitros diebus feriatis non potuisse arbitrium dicere, *lege si feriatis 36. ff. de receptis*, nisi dies compromissi exitura esset, *l. Pomponius, §. arbiter, ff. eodem titulo*: aut partes consensissent, ut diebus feriatis sententia diceretur, quod supponit Accursius *in dicta lege arbiter 40.* Unde licet sententia a judice diebus feriatis, nec ex partium consensu proferri possit, *cap. ult. hoc titul.* tamen arbitri cum ex consensu partium causæ cognitionem habeant, illis consentientibus arbitrium dicere possunt, quia non in omnibus, & per omnia arbitria redacta sunt ad instar judiciorum, ut sæpesæpius *in titulo de arbitris*, inculcavimus.

TITULUS X.

De ordine cognitionum.

CAPUT PRIMUM.

Clemens III. a *Alatriano Episcopo.*

INtelleximus quod cum quædam mulier peteret quemdam in *b* virum, testes ad suæ intentionis *c* assertionem induxit, per quos pars viri futurum sibi præjudicium *d* metuens exceptionem *e* consanguinitatis objecit, ex qua intendit petitionem mulieris *f* elidi. Quia vero nos consulere voluisti, an prius de impedimento consanguinitatis sit agendum, quam super causa principali sententia proferatur? Inquisitioni tuæ taliter duximus respondendum, quod cum exceptione probata quæstio principalis perimatur, ante est cognoscendum de ipsa, quam ad definitionis articulum procedatur: quo facto, virum ab impetitione mulieris, prout exposcit ratio, absolvas.

NOTÆ.

1 a *Alatriano.*) Alatrium, quæ Aletrium a Strabone dicitur, est versus Orientem tantum millibus passuum ab Anagnina civitate distans, cujus populos Alatrinates vocat Plinius *l. 5. c. 3.* Hoc nostro, superiorique sæculo Pontificiæ jurisdictionis est, & inter Campaniæ civitates numeratur: jam a primis Ecclesiæ sæculis Cathedral Ecclesia decoratur, ut plura de ejus Præsulibus adduceos refert Ughellius *t. 1. Italia sacra, fol. 328.* cujus Præsuli Thaddæo dicto missa est præsens decisio, quæ etiam reperitur *in prima collect. sub tit. de ord. jud. c. unico.*

2 b *Peteret in virum.*) Idest in maritum, *c. ad ejus 5. diss. c. manifestum 6. c. est ordo 33. q. 5. c. 1. in fine, c. laudabilem, qui filii sint legit. c. penult. & ult. de secund. nupt.* Mulier enim affirmabat maritum proprium esse, vir vero negabat; unde manifeste constat in præsenti casu judicium petitorium, non possessorium intentatum fuisse, forsan quia adhuc mulier deducta non erat in domum viri, ut in specie textus *in cap. litteras, de restit. spol.* deductio enim in domum mariti, licet nec sponsalia, nec matrimonium inducat, *leg. quæsitum, ff. de ritu nupt. leg. dotis 68. ff. de jure dot. lege cum hic status 32. §. penult. ff. de donat. inter, c. ex parte 14.* ubi plura dabimus, *de restit. spol.* tamen matrimonio præcedente nuptiarum possessionem conjugibus præstat, *l. penult. ff. de donat. inter*: vel possessorium remedium mulier non intentavit negligens consilium Gaii *in leg. is qui destinavit 24. ff. de R. V.* quia ille, cui utrumque remedium competit, possessorium videlicet, & petitorium, potest omittere possessorium, & petitorio agere, *c. pastoralis, de causa possess. c. 1. de restit. spoliat.* seu competere, cum petitio in jure proprie significet in rem agere, *dicta lege is qui destinavit, lege prima, paragrapho ultimo ff. de condition. tritic. l. actio 27. ff. de O. & A. lege pecunia 178. §. actionis, ff. de V. S. §. sic itaque, Institut. de action.* Probant Cujacius *l. 23. observat. c. 21. & lib. 1. definit. Papin. in dicta lege actio 28.* Faber *l. 15. conject. capite primo*, Donellus *lib. 12. comment. c. 28.* Difficilia sunt supra relata verba, siquidem actio in rem soli domino adversus possessorem competit, *lege officium 9. ff. de R. V. leg. actionem 26. vers. in rem, ff. de O. & A.* Ex quo principio deducitur ratio textus *in l. si quis hac l. ff. de R. V.* junctis traditis a Donello *libro quarto commentar. capite vigesimo secundo, & trigesimo quarto*, Hunnio *in Treutl. volum. 1. disp. 14. question. 9.* Sed mulier in virum, tamquam in liberum hominem, dominium habere non potest, *l. prima, ff. de libero homine exhib. l. liber homo 103. ff. de V. O. l. liber, decima septima, l. cum heredes, vigesima tertia, §. ultimo, ff. de acquir. possess.* igitur illud vindicare non valet. Accedit exemplum patris, qui filium vindicare nequit, *l. 1. §. per hanc 1. ff. de R. V.* Ofualdus *l. 20. Donel. c. 4. littera G*, Reatigui *l. 6. soleit. c. 2.* Vultejus *disquis. 3.* Hunnius *volum. 1. class. 15. thesi 8.* sed tantum ad liberos exhibendos agere ex edicto, *l. 12. ff. ad exhib. l. 1. ff. de lib. exhib. l. 1. §. ex hoc, de ventre inspic. l. Pomponius 40. de procur.* sed vir non est sub potestate mulieris, sicut nec mulier in potestate viri; tantum enim est in potestate patris, si illum habet, *l. 1. §. ult. ff. de liberis exhib. l. si uxorem 6. C. de condit. insert.* & in possessione viri uxor est, sopita patria potestate, *l. si quis 48. ff. de operis libert.* quod & in uxore deducta per coemptionem, seu in manuum conventionem, verum existimo, *ex l. 2. ff. de liber. exhib. l. 3. §. hoc autem, ff. de legat. præstand.* Unde maritus de uxore ducenda, & exhibenda tantum agere potest, *d. l. 2. ff. de lib. exhibend. l. si vita 11. C. de nupt. c. non est vobis, de lib. sponsal.* Paulus *l. 5. sent. tit. 6. §. bene concordans, l. ult. C. de l. exhib.* Igitur non recte in præsenti supponitur, rei vindicationem competere uxori in maritum.

3 Dissolvitur addu da difficultas.

Huic difficultati ut satisfaciamus, sciendum est, quod licet per actionem in rem peti possint tam res animatæ, quam inanimatæ, quæ jure gentium, aut civili in dominio nostro sunt, *l. 1. l. in rem, ff. de R. V.* homoque liber dominio nostro subjici non possit, & ita nec rei vindicatione peti, quia extra commercium est, *l. & liberi 4. l. si emptione 34. ff. de contrah. empton.* nec interest sui juris liberi, an juri nostro sub-